
1
6
128









FRANCISCI DERMASII,

Hermunduri,

EPISTOLA

Ad

Virum Celeberrimum

L. ADAMUM RECHENBERGIUM,

Professorem Lipsiensem,

De

INTOLERABILI FASTU

CRITICORUM

QVORUNDAM,

Speciatim

JACOBI GRONOVII,

Qva occasione & D. ABRAHAMI CALOVII, Theologi qvondam Wittebergensis, interpretatio de morte Judæ a Cavillationibus Gronovianis vindicatur,

Et

Nova pariter ejusdem GRONOVII de casu Judæ sententia exploditur.



LIPSIÆ,

Apud JOH. FRIDERICUM GLEDITSCH,

Literis CHRISTOPHORI FLEISCHERI, A. 1687.




VIRO CL.

ADAMO RECHENBERGIO

S. P. D.

FRANCISCUS DERMASIUS.



Iceat mihi titulorum apparatum, qvem frontispicia literarum plerarumq; hodie ostentant, more veterum, qvorum epistolæ nullas Excellentias atqve Amplitudines præ se ferunt, nunc qvidem suspendere. Neqve opus inter amicos isthoc choragio, cum intemeratus candor, qvo nemini mortalium cedo, purpurissum ceremoniarum omnem abominetur. Itaqve statim ad rem. Accepi ante octiduum qvam rectissime tum *Acta Eruditorum* Kalendis Aprilis publicata, tum *Rolandi Maresii* Epistolas, Te obstetricante Lipsiæ denuo editas, qvarum recensio in actis Februarii (hujusdem anni 1687.) facta incredibile qvantum desiderii mihi excitarat. Et has qvidem, cum à Te non minus, qvam à *Petro Lalemantio,* universi studii Parisiensis Rectore, tam à stylo defecato, qvam ab utilitate consiliorum ad studia pertinentium summo commendatas opere esse advertissem, vix acceptas lotophago similis perlegi omnes, nec esuriginem meam sedare prius, qvam libellum svavissimum hunc totum veluti devorassem, potui. Deprehendi autem eas non tersas tantum esse, vel, ut Lalemantius loqvitur, meracissime latinas, sed Criticam qvoqve in illis longe utilissimam exerceri. In Critico omnem eruditionem ac scientiam reqviri, non abs re dixit Sextus Empiricus, cum non castigare tantum scriptores qvosqve, sed accuratum qvoqve judicium ferre de illis debeat. Nec aliam ob caussam Philologi, Polyhistores, πολυμαθεῖς, ut & Grammatici, (sed à Grammatistis seu literionibus distinguendi) qvales olim apud Græ-

cos

cos Ariſtarchum & Cratetem, ante hos Ariſtotelem, qvi & Criticorum Princeps dicitur, Apollodorum, Eratoſtenem, Hecatæum, Philetam, & Longinum, Galenum item è medicis, è patribus Origenem, ut & Photium, Patriarcham Conſtantinopolitanum; penes Latinos M. Terentium Varronem, Horatium Flaccum, & è Patribus Hieronymum, ut alios plures jam taceam, extitiſſe, jamdudum Johannes à Wower, polymath. c. XIIX. & Dan. Heinſius Prolegom. in Ariſtarchum ſacrum, me docuerunt. Criticæ autem duæ cum ſint partes ſecundum Mareſium tuum (nam alii tres conſtituunt cum Johanne Philippo Mauſaco in Diſſert. Critica de Harpocratione, & ejus ſcriptis) atqve altera in Codicibus MSStis excutiendis, antiqvisq; exinde autoribus emendandis ſit occupata, altera de ratione ſtudiorum potisſimum agat, & qvid in illis ſeqvendum, qvi autores legendi, qvidqve de antiqvis pariter & novis ſcriptoribus ſentiendum, accurate dijudicet, Mareſius poſterius Critici munus in qvavis epiſtola exeqvitur, utilisſima qvippe ubiqve de ſcriptoribus judicia conſiliaqve fluidisſimo ſtylo legentibus inſtillans, hoc ipſo tanto charior pretioſiorqve habendus, qvanto rariores ac pauciores id genus epiſtolæ in tam ſpiſſa Epiſtolographorum nube reperiuntur. Nam qvanqvam poſt exterminatam ſuperiorum ſeculorum barbariem largisſima Criticorum ſeges hinc inde in orbe literario excrevit, pleriqve tamen illorum priorem magis, qvam poſteriorem Criticæ partem excoluere, qvæ & maxime id temporis, cum literæ Phœnicis inſtar ex cineribus renaſcerentur, erat neceſſaria. Cum enim ſcriptores antiqvitatis literatæ optimi ab indoctis librariis, qvi non alii qvam Monachi fuere, miſerandum in modum lacerati eſſent ac lancinati, Æſculapiis utiqve omnino erat opus, qvi medicas manus tot vulneribus ulceribusqve adhiberent, mendasq; librorum omnes, qvæ barbarie tam diuturna inoleverant, emendarent ac tollerent. Neqve ullus propemodum, qvæ temporum recentiorum eſt felicitas, priſcorum autorum jam eſt, qvin emaculatus ſit à Criticis, & priſtino nitori, ſi non ex omni, at maxima ex parte reſtitutus, ut absqve offendiculis adeo, qvæ legentes alias remorabantur, poſſit perlegi. Cum itaq; prius Criticæ genus ſic ſatis excultum jam videretur, ſcriptoribus qvippe priſcis ad pumices revocatis atqve caſtigatis, ad alterum ſibi accedendum Mareſius cenſuit, nec ipſe tantummodo in epiſtolis ſuis tractandum id ſibi ſumſit, ſed & Criticos prioris ordinis celeberrimos, Jo-

hannem Fridericum Gronovium, & Nicolaum Heinſium ad idem per-
ſeqvendam adhortatur, longe majori illis laudi fore non obſcure in-
nuens, ſi, omiſſa ulteriori chartarum pulverulentarum evolutione, &
tædioſa ſyllabarum captatione, de divite ingenii ſui penu non nihil
expromerent. Et vero modus tandem tenendus in emendatione auto-
rum, neqve ſemper in lectione illorum fluctuandum, niſi ſi meliores
MSStos Codices qvis nanciſcatur. Et qvis diutius (loqvar cum Ma-
reſio tuo ex epiſt. XVII. ad Hadrianum Valeſium lib. 1.) *tot notas, tot
obſervationes ferat? qvousqve tot variis ac ſæpe vanis lectionibus omnes
librorum margines implebuntur? in his enim parergis magna fit tempo-
ris jactura. Certe citius totum Ciceronem evolvero, qvam dimidiam par-
tem notarum, & commentariorum in eum ſcriptorum. Qvid ſi tot Cri-
tici, dum medicas manus adhibent, libros, qvos ſanatos volunt, pejus per-
dunt? &c.* Factum autem neſcio qvomodo, ut, poſtqvam ſemel in ma-
nus ſumſere cenſoriam virgulam Critici id genus, vel librorum corre-
ctores, ſibi monarchæ qvidam ac Reges σκηπτοῦχοι videantur, & autores
veteres, utut jam ſatis caſtigatos, pro arbitrio ſuo jugulent hinc inde &
confodiant, tyrannorum fulmina illla, URE, SECA, & SIC VOLO, JU-
BEO, ſua facientes. Qvod Criticorum cacoëthes cum mirum qvantum
jam invaluiſſet, temperare ſibi Juſtus Lipſius, qvi magnum inter Cri-
ticos nomen erat, non potuit, qvin Satyram Menippæam ſcriberet, qvæ
nihil aliud eſt, qvam luſus in ævi ſui Criticos. Sunt autem iſta Ma-
jeſtatis qvid ſpirantia Criticorum effata: *Hoc rectum eſt, hoc non re-
ctum, hoc non implet aures meas, hoc non latinum, etiamſi Cicero ita locu-
tus ſit. Stigmatias hic locus, hic mutilus.* Ita enim formulas in Saty-
ra illa allegat Cicero, qvi & ibi coram Patribus Conſcriptis conqveri-
tur, qvod à viginti jam annis (longe plures jam addi poſſunt) corre-
ctorum notis diſtrahatur, laceretur, & minutis ictibus qvotidie feria-
tur, & qvidem jam à Thuſco, mox à Veneto qvodam & Gallo, & de-
niqve â nonnemine ex Friſiis & Thuringis. Nec intactum relin-
qvere id mali potuit Euphormion Luſininus in ſuo Satyrico. Ita au-
tem penes illum Callion: *Jacebant paſſim libri ſqualidiſſimo ſitu, &
ipſe pulvis meliorem autorum partem exederat. Itaqve neceſſarium
videbatur, ut homines docti tollerent maculas, qvas vel librarii,
vel tempora inuſſerant, tum diverſorum voluminum lectione, tum
antiqvitatis peritia, etiam interdum divinando. Qvis deinde ad hoc ſtu-*

dium

dium se non accinxit? qvis provinciam, qvam permitti non oportuit, nisi summa autoritate viris, privatis auspiciis non suscepit? Qvis se in virum non evasisse credit, qvis non æternitati litasse, cui stylo hæc vocabula permiserit, deleo, interpungo, corrigo, manuscripti sic habent, hoc antiqvo ab ritu," & cætera ineptissimæ ambitionis verba. Duobus hisce, (ut ternio censorum eximius compleatur) succinit P. Cunæus, JCtus pariter ac polyhistor qvondam Academiæ Leidensis clarissimus, tum in Satyra, qvæ *Sardi venales* est inscripta, tum in oratione XV. ab eo tunc habita, cum Horatium publice prælecturus esset. Ita enim ille graviter ac generose inter alia: *Scio reperiri hominum genus, qvi falso se Criticos, hoc est, literarum judices dici atqve haberi volunt. Horum omnis scientia in verborum angustias, & in syllabarum angulos detrusa est. Ibi latitant, ibi regnum suum, ibi imperium habent. Nos cum his qvoqve divortium facimus, res illas suas habere & miseros esse, deleant, mutent, transfigant voculas, sint magni, sint sapientes, sint eruditi, sed sibi tantum. Non moramur, non pugnamus, non invidemus; miserari potius aut ridere lubet. Exile enim hoc est, & humile, & nihili, qvod totum in singulis prope literis, atqve interpunctionibus verborum est occupatum &c.* Mihi sane & ipsi, qvamvis à fastigio tantorum Virorum qvam longissime absim, Critici id genus stultissimæ ambitionis homines semper sunt visi, imo magno conatu, & mirabili molitione qvadam ineptire. Et qvæso, Vir amicissime, ecqvid artis est, conferre inter se MSStos Codices, & variantes ex illis lectiones collinere, vel collectas hinc inde ex aliis notas textui antiqvorum autorum subjicere? Et cui bono tot variæ lectiones ex MSStis annotatæ? (Neqve enim negatum ibo, notas hinc inde consarcinatas aliqvid lucis autori edito afferre). Qvod si grande aliqvod volumen sit edendum, idqve non nisi variantibus lectionibus refertum, ego nihil aliud illi inscribendum censerem, qvam SIBYLLA FOLIA, vel PALEA, qvam vocem Juris Canonici capitulis qvibusdam inscriptam Alciatus in Parergis notat, qvod incertæ sint fidei, & palearum instar juxta frumentum censeantur. Nolim eqvidem is videri ego, qvi verborum curam susqve deqve habendam censeat. Novi enim ex verborum intelligentia, cognitionem rerum pendere, prout Cratylus apud Platonem dixit, cumqve verba secundum Aristotelem, eorum, qvæ mente concipimus, sint notæ, fieri certe nullo modo potest, ut, qvi vim verborum non percepit, eam sententiam, qvæ illis verbis expressa

 est,

eſt, aſſeqvatur. Neqve ignoro præterea, Veteres Jureconſultos, Ulpianum, Paulum, Gajum, Marcellum, aliosqve Juris interpretes, qvoties leges, ſenatus-conſulta, edicta prætorum, aut ædilium, conſtitutiones, decreta, & epiſtolas Principum explicarunt, in patefacienda ſingularum vocum vi ac proprietate, tam multos, tamqve aſſiduos fuiſſe, ut magnam induſtriæ ſuæ partem conſumſiſſe in eo videantur; qvemadmodum & Gellius cum Antiſtium Labeonem, JCtum nobilisſimum, valde alicubi commendaſſet, ad poſtremum id addidit, eum latinarum vocum origines rationesqve percalluiſſe, eaqve præcipue ſcientia ad enodandos juris laqveos fuiſſe uſum. Tantum itaqve abeſt, ut ſcriptores, qvi verborum evolutionem accuratam cum rerum tractatione conjunxere, (qvod poſt veteres JCtos Muretum, & ante illos Budæum & Alciatum, ut ſexcentos alios jam taceam, feciſſe in propatulo eſt) reprehendam aut pipulo differam, ut potius admirer eos ſummopere, nec imitari tantum pro virili mea ſatagam, ſed aliis qvoqve imitandos proponam. Diſplicent autem, diſplicebuntqve ſemper Critici (liceat monſtroſæ arrogantiæ homines monſtroſis etiam vocabulis nobilitare) *Vocabularii* & *Vari-lectionarii*, qvi regnum ſibi qvoddam literarium ſine literatorum ſuffragiis arrogant, & tanqvam Joves patellarii ſua fulmina in omnes Majeſtatis ſuæ Criticæ minus reverentes evibrant. Sed eccur, inqvies, Vir celeberrime, hæc recoqvis de Criticis, vel Criticaſtris potius, qvos Triumviri illi, Lipſius, Barclajus, & Cunæus ſatyrico ſale ſic ſatis perfricuerunt? Venio itaqve poſt circuitionem aliqvam ad id, qvod anſam mihi epiſtolam hanc ad Te perſcribendi inpræſentiarum ſuppeditavit. Nimirum ex Mareſio, Critico optimo cordatiſſimoqve, incidi in Criticum ejus notæ, qvæ à Triumviris jam laudatis, graphicisſime, ut ſic dicam, depicta eſt, incidi, inqvam, in *Jacobum Gronovium*, cujus non libellum tantum de *Pallacopa*, ſed & *Iſaaci Voſſii*, & *Jaſithei*, hoc eſt, *Raphaelis Fabretti ad cavillationes ejus*, ut vocat, *reſponſiones* recenſitas à Vobis in Actis hujuſce menſis deprehendi. Germanis alias parum ingenii atqve eruditionis à Viro illo tribui, ex peregrinantibus non paucis, qvi collocuti cum eo in Belgio ſunt, intellexi. Neqve magnopere id ſum demiratus, cum & ante hæc tempora ſolenne id Belgis plerisqve fuerit. Dudum eſt, (agebatur annus 1632.) cum *Caſpar Barlæus* ad *Vincentium Fabricium*, Hamburgenſem, de Germania ſuperiori noſtra ſatis audacter perſcriberet, *eam, ſi ingenia pleraqve ſpectes, inferiorem*

riorem

riorem dici posse, ſed breviter præter alia reſpondebat Fabricius, *nunqvam defuiſſe Germanis decora ingenia, qvæ cum Batavis facile certent.* Typho autem præ cæteris Belgis ſuo tempore pleniſſimi erant *Daniel Heinſius*, & *Petrus Scriverius*. Nam uti Germanos Criticos ac Poetas, interqve illos nobiliſſimum *Caſparem Barthium* non ita magni juxta ſe æſtimabant, ita laudes proprias, qvacunqve data occaſione, in in carminibus maxime libris aliorum præmiſsis, decantabant; qvorſum & Scazon ille referendus, qvi in carmine Scriverii in Apollonium Dyſcolum à Johanne Meurſio 1620. editum legitur:

Doctosqve Belgas, ſedulosqve Germanos.

Nam in hoc verſu Belgis ſuis doctrinam & eruditionem, diligentiam vero & πολυγραφίαν non ſine tacito contemtu tribuit. Sed uti generoſiſſimæ mentis Heros erat Barthius, ita vel ob unicum iſtum ſcazontem in Suffenos iſtos Batavos his verbis in præfatione Adverſariorum ſuorum detonabat: *Oppoſui & nonnullas argumentationes naſutis hominibus, qvi Nationem totam noſtram non verentur inceſſere famelicis ſuis verſuum & periodorum hinc inde commendicatarum argutatiunculis, ut ſeſe velut in altum ſubducant contemtu Germanorum, qvorum nobiliſſima & generoſiſſima ingenia NB. laboris damnant, qvem malignitate rurſum duplici, ſedulitatem, rem ſcilicet ingloriam, dicunt, ut ſibi doctrinam, illis ſolas occupationum tricas adſcribant; qvod genus miſerorum mortalium (tympanotribæ ſint potius qvam ſcriptores, qvi alienorum librorum laudatiunculas appetunt &c.* Dulce eqvidem canit Heinſii fiſtula in epiſtola ἀνεκδότῳ ad Barthium 1627. data, cujus hoc eſt initium: *Mi Barthi, itane tibi ſatis non erat, publicam totamqve adeo poſteritatem obſtrinxiſſe tibi, niſi & nos inſuper præclaris ingenii tui monumentis beares, qvæ ne dolo dicam, tanti ſunt mihi, ut inter præſtantiſſima κειμήλια repoſuerim. Nam ſive video τὰ κριτικὰ, accurata ſunt, ingenioſa ſunt, & diffuſam lectionem arguunt; ſive poemata, dulcia & venuſtatis plena ſunt, tum apparet ſatis, favente natura, qvod pauciſſimis contingit, eſſe ſcripta &c.* Sed parum candoris fuiſſe in Heinſio, vel ex Hugonis Grotii ad CL. Salmaſium Anno 1633. perſcripta, non obſcure colligo; de eo enim omnino intelligenda ſunt verba iſta: *Noveram ingenium hominis, cujus cum ego & commodis & dignitati diligentia non minore, qvam rebus adhibebam meis, ſtuduerim ſemper, retuli nihil præter nigræ loliginis ſuccum.* Et qvinam, qvæſo Te, illi ſunt, qvi, cum litera-

literarum μονοπωλεῖαν qvandam sibi vindicarent, adventu Salmasii non magnopere gavisi in eadem Grotii epistola perhibentur, nisi Heinsius & Scriverius? qvi & ipsi illi sunt θαυμάσιοι, qvos non obscure Salmasio invidisse ad Vagetium suum scribit Fabricius, cum ex Gallia Lugdunum Batavorum fuisset evocaus, & eundem, qvem olim Josephus Scaliger, locum, nec non qvotannis bis mille & qvingentos aureos hollandicos cum ædib9 splendidis ex ærario Ordinum conductis, in Academia illa obtinuisset. Loliginis succo non minus, qvam Heinsium, & Scriverium fuisse tinctum, vel ex eo hariolari licet, qvod Vir doctisſimus, atqve, ut sic dicam, Græcisſimus *Johannes Meursius*, qvi Scriverio, à qvo & carmine laudatus fuerat, appendicem ad Hypercriticum suum dedicarat, amicitiam eidem palam renunciavit part. 1. Exercit. Critic. Neqve enim alium sub nomine *Rupicis Signatorii*, qvam *Petrum Scriverium*, designat. Sed ad Heinsium redeo. Hic cum Barthium aliosqve Germanos ob edita tam critica, qvam poetica opera in orbe literario videret inclarescere, loligine, qvam Grotius notabat, plenus, eorum lumina obstruere qvocunqve modo annitebatur. Et unde qvæso Fabricii illa Satyrica Relatio, qvæ *Pransus paratus* inscribitur, enata, nisi ex Parnasso Heinsiano? Germanus eqvidem erat Fabricius, sed Heinsianus totus. Leidæ enim studiorum gratia cum degeret, domo Heinsii (utor verbis ipsius ex epistola qvadam ad H. Vagetium suum 1634. scripta) tanqvam sua utebatur; ea absente præsente Heinsio patebat ipsi; superveniebat mane, vesperi, coenanti, prandenti, ipso non tantum non invito, verum etiam jubente; Qvin vix septimana erat, qva non coenaret cum Heinsio, aut pranderet. In ea vero Fabricii Satyra, non illi tantum poetæ Germanorum, qvi elementa nominis cujusqve dilacerant, & in sententiam qvandam interdum satis putidam cogunt, hoc est, Anagrammatistæ, & hi qvidem suo merito, sed & Pogon, Polyphilus, & Myrtilus, hoc est, *Caspar Barthius*, *Fridericus Taubmannus*, & *Paulus Melissus*, JCtus & Poeta in Myrtilleto, h. e. Heidelbergæ degens, in scenam longe satyricisſimam producuntur, indigniqve omnes, qvi in Aprosito, hoc est, Insula Poetarum inaccessa locum habeant, pronunciantur. Eqvidem, si & mihi qvid de Poetis hisce ferendum foret sententiæ, affirmare non vererer, Barthii poesin mihi insvavem semper, imo & horridiusculam subinde fuisse visam. Fuit enim Poeta qvidem, sed venæ non felicisſimæ, (id qvod à natura im-

impetrandum) at vir tamen infinitæ & plane obstupescendæ lectionis, & judicii in censendis castigandisqve autoribus satis exqvisiti, imo Criticus Germanorum, si à Joachimo Camerario nostro discessero, plane incomparabilis; qvemadmodum & alios viros summos constat, de Poetis qvidem emuncta ferre posse judicia, at versus tamen ipsos, non tam dictante Apolline, qvam invito, scribere, qvale qvid nudius tertius in *Jacobi Tollii*, Batavi doctissimi modestissimiq; ,& hodie Teutoburgici in Clivia Professoris *Fortuitis* hoc ipso anno editis deprehendi. Nam & illum Musas in fundendis carminibus non adeo habere propitias, vel ex unico carmine seculari, Fortuitis annexo, in trecentesimum natalem Academiæ Heidelbergensis superiore anno celebratum scripto, colligere est. At idem tamen, qvotiescunqve utriusqve lingvæ Poetas scriptoresqve alios inter se comparat, oculatissimum, meo qvidem judicio, agit Criticum; qvanqvam ab alio penes Batavos Critico, imperitiæ & jejunitatis bonarum artium, sed indicta plane causa alicubi fuit damnatus; qva de re ipse Tollius in capite Fortuitorum III. ubi Petronium cum Virgilio confert, non obscure conqveritur. Scilicet aliud qvid est ingenium poeticum; aliud judicium de poetis; seu aliud proclivitas naturæ ad poetandum cum lectione poetarum & exercitio conjuncta, aliud *ἀγχίνοια*, seu facultas de scriptoribus qvibusqve, atqve adeo de Poetis qvoqve judicandi. Qvod Myrtilum ac Polyphilum, hoc est, Melissum ac Taubmannum attinet, sane in illis qvoqve est, qvod perpurgatas Criticorum, aliorumqve in Poetarum lectione defixorum aures non leviter potest offendere. Nam Melissi Emmetra dura qvodammodo ac confragosa videntur, certe cum barbito Lyricorum latinorum principis non consonantia; Sic Taubmannus qvoqve, uti stomachi sui Comicum, h. e. festivissimum Plautum totum veluti devorarat, atqve in succum, qvod dicitur, & sangvinem converterat, ita Phrases qvoqve Plautinas carminibus suis qva Epicis, qva Elegiacis atqve Lyricis infarsit; qvo ipso misturam fecit non bellissimam, cum carmen æqvabile, & character ubiqve similis esse debeat. Longe melius, addo, & felicius hoc *πρέπον* superiori seculo observarunt Germani Poetæ, *Jacobus Micyllus*, *Petrus Lotichius*, *Georgius Sabinus*, *Johannes Major*, *Gregorius Bersmannus*, pluresqve alii à Ranutio Gero, hoc est, *Jano Grutero* in VI Deliciarum partibus æternitati consecrati, & *Lotichius* qvidem cum maxime, qvem vel Batavorum Poeta-

rum cuiqve ob limpidam & Ovidianæ ſimilem ſvavitatem opponere non dubitem. Nec e Germanis currente hoc ſeculo non fuere, qvi Majeſtatem gravitatemqve veterum poetarum, ſi non æqvarunt, certe qvam proxime ad eam acceſſerunt. *Buchnerus* ſane, Poeta & Orator Wittebergenſis, uti ſtylo plane exaſciato in proſo ſermone utitur, ita qvotiescunq; in Parnaſſo ſomniavit, Phœbum ipſum ſpirare fuit viſus. Et utinam poemata ejus cedro digna eadem, qva orationes, & epiſtolæ ejusdem felicitate penetralia tandem Veſtæ perfringerent! Huic merito adjungo *Rappoltum* veſtrum, cujus carmina, vel Momo judice, meros Marones, Statios, Claudianosqve (hos enim potisſimum imitandos ſibi propoſuerat) de ſe ſpirant, ut de eo non abs re diceret Heros qvidam illuſtrisſimus, & judicio, dum viveret, pollentisſimus: Rappolt trappelt hoch/ h. e. *Rappoltus altis pedibus incedit*. Et ecce par poetarum Germanorum, qvod vel ſolum Poetis Batavis palmam ſi non eripere, at ambiguam tamen poteſt reddere. Qvibus ſi *Fabricius* jam laudatus, natione qvippe & ipſe Germanus (nam poeſin ejus oppido qvam terſam politamqve eſſe fatear oportet) vel qvi adhuc ſuperat, *Morhoſius*, invidendum Kilonienſis Academiæ decus, addatur, egregius qvidam poetarum Germanorum ternio compleri poſſet. Qvod ſi hodie, qvi ad clavum Reipublicæ penes nos ſedent, Mæcenatis induere perſonam, aut benignitatem exprimere ſuſtineant, auſim profecto non paucos orbi literario Marones cum Martiali promittere. Neqve enim in tantum emarcuere Germanorum nunc temporis viventium ingenia, ut non aſpirare qvadantenus ad priſcorum poetarum majeſtatem elegantiamqve poſſint. Et fortaſſe Poeta qvoqve veſter, niſi omnia me fallunt, poemata Parnaſſo veſtro non indigna muſinaretur atqve ederet, ſi aureo qvodam imbre à Cilnio aliqvo vel Fürſtenbergio perſpergeretur. Sed qvis neſcit eos, qvi Mæcenates penes nos poſſunt agere, ὑπὸ κόλπω χεῖρας ἔχειν, qvæ vetuſta Theocriti qverela erat, & Ludovici XI. Galliarum Regis effatum à magnatibus probe obſervari, qvi Poetas non ſaginandos, ſed generoſorum eqvorum inſtar alendos eſſe dixerat? Faſces interim poeticos ſibi ſumunt nonnulli Batavi, atqve uti ſolari qvodam præ aliis jubare circumfuſos ſe credunt, ita alios tanqvam lunulas longisſime infra ſe poſitas ſuperbe deſpiciunt. Poſſem inſigne, idqve novisſimum Batavici faſtus ſpecimen allegare vel ex ſola collocatione carminum illorum, qvæ nitidiſſimo Illu-

ſtris

ſtris Samuelis Pufendorfii operi apud Ultrajectinos edito, qvo is tanqvam Livius Virbius res geſtas magni Svecorum Regis Guſtavi Adolphi, atqve auguſtisſimæ Chriſtinæ percenſuit, ſunt præmiſſa. Sed placeat illis ſuum illud magis, ſi Diis placet, magnificum: NOS P. Unus inſtar multorum nunc eſſe poteſt *Jacobus Gronovius*, Criticus hodie in Batavia ad ſtuporem usqve faſtuoſus atqve maledicus. Tolerari is poterat, ſi Danieli Heinſio poetica facultate, ac multijuga eruditione par foret, totqve præſtantisſimis ingenii monumentis in lucem evulgatis tantundem, qvantum is, autoritatis in orbe literario ſibi comparaſſet. Erat enim Heinſius, Buchnero Germanisqve aliisqve cenſentibus, Phœnix qvidam literatorum ſuo tempore, nec in ſacra tantum ac profana literatura, ſed in Poeſi qvoqve & eloqventia, imo in omni propemodum ſcientiarum genere ſeſe Roſcium repræſentabat; qvanqvam, uti vel optimus Homerus interdum dormitabundus eſt, ita Heinſius qvoqve creberrimæ ἀβλεψίας à Salmaſio, Crojo, aliisqve pluribus fuit accuſatus. Sed cum vix umbrula Heinſii ſit iſte Gronovius, & tamen dictaturam qvandam non in Germanos tantum, qvos ſaltem non pro fungis habet, ſed & in Italos, Gallos, Anglos, imo in Batavos qvoqve ſuos, ſine eruditorum calculo, ſibi arroget, & dicteriis præterea mordacisſimis in adverſantes ſibi qvosqve debacchetur, næ duro huic nodo durus qvoqve adhibendus eſt cuneus, & qvam inſaniam hactenus is delirarit, palam omnibus oſtendendum. Patrem is ſeqvi debebat *Joh. Fridericum*, tanqvam Phœbum ſuum ac Dædalum, qvi qvamvis Criticum & ipſe ageret non infelicem, intra modeſtiæ tamen limites ſe continebat, nec tam immani, ut hic, licentia in qvosvis eruditos cenſoriam ſtringebat virgam. Sed Phaeton & Icarus eſſe maluit *Jacobus* filius, pœnitendo, ut eventus docet, docebitqve ulterius, eventu, qvia & ipſe mediam, qvam pater præiverat, viam fuit ſupergreſſus. Video enim ex Actis veſtris hujusdem menſis, eum non ab *Iſaaco* tantum *Voſſio*, viro jamdudum celeberrimo, qvem in nova Pomponii Melæ editione tanqvam Salmaſii vindex morſicaverat, vicisſim acerbe tractatum, ſed â *Jaſitheo* qvoqve, vel *Raphaele Fabretto* Nobili Urbinate, & magni apud Italos æſtimii Abbate, qvem & ipſum ob rem leviculam, vel ob minus approbata in Tito Livio qvædam *Titivilitia*, ut appoſite vocat Fabrettus, aculeatis dictis inceſſerat, ex Gronovio in *Grunnovium*, ſeu porcum grunnientem fuiſſe transmutatum. Et

vero

vero tractari non aliter merebatur, qvi ob rejecta hæc talia fracta vitrea, ut cum Petronio loqvar, tanta animi feritate tantaqve ſtyli petulantia ac mordacitate fuit uſus. Bella ob leves ſubinde cauſas, v. c. ob ſitulam, ob leporem captum, ob canem venaticum &c. enata eſſe, locupletisſima teſtis eſt Hiſtoria. Qvid? qvod Lugduni Batavorum, ubi jam degit Gronovius, ſeditio aliqvando non aliam ob cauſam fuit oborta, qvam qvia Johannes Danielius, ante ædes Bucoldi Hermanni, qvas ipſo ad fores aſſidente prætererat (rem totam refert Joh. Meurſius Athen. Batav. lib. 1. c. XVII.) Agyrium, (de qvo Svidas in hac voce) egerat, vel ructum ediderat de Sabæis meſſibus nil ſpirantem. Non majoris, imo minoris adhuc momenti ſunt iſtæ res, qvas propter bellum qvaſi tam Fabretto, qvam Voſſio indixit Gronovius. Poſteaqvam enim ex beneficio tuo, *amplisſime Rechenbergi*, ea qvæ Fabretto pariter ac Vosſio oppoſuit Gronovius, pervolvere mihi licuit, controverſias illas (ſi ficum ficum fas dicere eſt) de lana caprina agitari deprehendi. Nimirum qvia Fabrettus lectionem Gronovii in Livii lib. XXVI. *inde ab Pedo* pro *inde Algido* non approbarat, ideo crimen qvoddam læſæ Majeſtatis Criticæ commiſiſſe; & qvia Voſſius in Arriani lib. VII. ubi de Pallacopa, famoſiſſima Euphratis foſſa agitur, vocem græcam ἀποςροφὴν verterat *fluminis divortium*, non *aqvarum averſionem* (cum res tamen utrobiqve fere eodem recidat) ea propter immane qvantum erraſſe Gronovio fuit viſus. Egregiam vero tam acriter controverſandi, totqve virulentiſſimis dicteriis utendi cauſam! Mihi ſi qvisqvam ſcriptorum alius, certe hic Gronovius fluctus movere in ſimpulo, vel, ſecundum aliud proverbium, arcem ex cloaca videtur facere. Licuit autem vel ex ſolo ſtylo mirificum, tetricum, & faſtu pleniſſimum hominis ingenium, tanqvam ex cantu volucrem, cognoſcere. Eſt enimvero latinitas ejus, ſi judicii qvid de ea exponendum mihi, affectata tota, ac hiulca, aſpera, & tot græcis verbis ac phraſibus non tam exornata, qvam defœdata, ut nihil dicam de vocibus nonnullis, parum de auro vel argento Latiali referentibus. Sane cum dictio non alia mihi (credo & aliis Auguſtæi ævi latinitatem æſtimantibus) ſeſe approbet, qvam pura ac limpida, Gronoviana non diſplicere non poteſt, fluvio qvippe non abſimilis, qvi ob ſaxa ubiqve interjacentia citra offenſionem ac ſtrepitum non poteſt decurrere. Non ignoro eqvidem Lipſium, Caſaubonum, & qvi his prior erat Joachimum Camerarium,

qvi

qvi doctisſimus Germanorum etiam apud exteros audit, Græca multa epiſtolis ſuis interſperſiſſe. Verum ſi dicendum qvod res eſt, Latinos æqve ac Græcos peregrinas voces ſermonibus interſerere ſuis haud fas eſt. Xenophon ſane, licet lingvæ Perſicæ longe eſſet gnarisſimus, nunqvam tamen Cyrum Perſice loqventem introduxit, non alio qvippe ſermone, qvam patrio, locutus. Sic Plato qvoqve, qvamvis ab Ægyptiis & numeros & metiendi rationem accepiſſet, nunqvam tamen verba Ægyptiorum ipſa uſurpavit. Nec aliter fecere Scriptores Romani, niſi ſi res qvæpiam ſeſe obtulit, qvæ Græce melius feliciusqve, qvam latine potuit exprimi, qvanqvam & hoc factum non ſine veniæ petitione videas. Cicero eqvidem in epiſtolis ad Atticum de Homero, Euripide & Platone non pauca adſpergebat; ſed ad Atticum amicisſimum ſuum perſcribebat, eumqve græci ſermonis callentisſimum. In epiſtolis vero, qvæ familiarium nomine plerumqve veniunt, nunqvam vel raro tale qvid factitavit. Idem cenſendum de Camerario, Græcisſimo, ut ſic dicam, Viro. Nam qvoties ſecretius qvid inſinuare in epiſtolis ad candidisſimum corculum ſuum, Phil. Melanchthonem, ut & Esromum Rudigerum, generum ſuum, qvi & ipſi erant ἑλληνικώτατοι, voluit, toties græcis vocabulis de induſtria, & minime imprudenter, fuit uſus. Alioqvi ſermo ſimplex, non bilingvis aut trilingvis eſſe debet, vel centoni ſimilis. Et bene Joh. Ludovicus Balſacius, Gallus elegantisſime doctus, in epiſtola ad Leonardum Alemajum, qvæ Mareſianis abs Te p. 621. eſt addita: *Turpe eſt centonibus loqvi. Enimvero ut in operibus ſuis ſapientisſima natura omnia ἀλλόκοτα & mixta ex diverſis generibus averſatur atqve abominatur, ſic ſecundum naturam ſermo & ſimplex & ſincerus, & ſui ſimilis & maxime unus eſſe debet; à qva naturæ lege in totum recedere nunqvam ſibi permittit ſapiens. Ridentibus autem aut irridentibus potius convenit hæc laſcivia.* Eidem Balſacio in epiſtola ad Gabrielem Gandislaldum ſcripta p. 617. putida ac puerilis alienæ lingvæ in oratione eſt oſtentatio. Et vero pueri vel græcis literis leviter tincti verba ac phraſes qvasdam ex Ariſtophane, græcisq; aliis ſcriptoribus colligere poſſunt, & Orationi latinæ ad pompam infarcire. Nec abſentit à Balſacio Mareſius, qvippe qvi in epiſt. VI. lib. I. parum judicii illis tribuit, *qvi ſine ulla neces ſitate Græcas voces ubiqve inſpergunt, & orationem qvaſi teſſellato opere contexunt.* Sed ferri & iſte cento Latino-Græcus poſſet, vel iſta ſcriptionis hibrida

 (nam

(nam unicuiqve ſuum pulchrum eſt, nec ulla Mopſa tam deformis, qvin amaſium aliqvem inveniat) modo non in tantum ampullaretur Gronovius, & tot viros ſummos, à qvibus diſſentit, tam indignis tractaret modis. Fecit id tum in chartis contra Fabrettum & Voſſium evulgatis, qvarum mentionem jam feci, tum in Academicis maxime Exercitationibus de *Pernicie & caſu Judæ τοῦ προδότου*, jam anno 1683. Lugduni Batavorum editis, ſed qvas nuper demum per Te, Amice ſinceriſſime, perlegere mihi licuit. In his enim non Theologos tantum Eccleſiæ orthodoxæ noſtræ primicerios, Gerhardum & Calovium, ſed & Principes literarum ipſos, Caſaubonum, Heinſium, Grotium, Salmaſium, aliosq; plures poſt deinceps nominandos, imo Coccejum qvoq; ac Mommam, religionis ac regionis, in qva vivit, Theologos ſalſiſſime perfricat, & mirum qvantum de ſe ampullarum, vel nugarum bullatarum ubiqve projicit. Ligtfootum, Theologum Anglum, poſtqvam eum ludibrio habuerat in ſententia de caſu Judæ, p. 140. vocat μεγαλότολμον. Ego vero hominem μεγαλοτολμότερον hoc Gronovio non vidi unqvam, vel, ut dithyrambica Ariſtophanis voce utar, magis κομποφακελορρήμονα, (nam & mihi aliqvid Græci interſpergendum, ne ſolus Gronovius ἑλληνίζειν poſſe ſibi videatur) Et ecce faſtus obſtupeſcendi ſpecimen extantiſſimum! Sic enim in dedicatione ille : *Ad qvod* (ad tenebricoſum videlicet Judæ laqveum omnibus palam oſtentandum, uti ipſe loqvitur) *venio qvidem & junior & tardus poſt qvindecim ſeculorum tenebras & millena aliqvot ingenia.* Scilicet poſt tot chiliades imo myriades Eruditorum Gronovius Octavus ſapientum eſt, vel tanqvam tertius Cato è cœlo decidit. Sed de opuſculo Gronovii ipſo qvid dicam? Plena in eo imo pleniſſima, præter fel in ſummos Viros ubiqve evomitum, στωμυλμάτων, & verborum ἁμαξιαίων ſunt omnia. Caput imprimis XVII. qvo nihil ampulloſius legiſſe me memini, ut & caput XIX. cujus hoc initium eſt : *Plus indulgentia Spiritus S. nobis reliqvit, & ſcire conceſſit, qvam putaverunt, aut videntur ſcire voluiſſe viri doctiſſimi*; qvibus verbis parum abeſt, qvin θεόπνευστον ſe locorum duorum de morte Judæ, *poſt tot millenos ſummos in eruditione homines*, interpretem profiteatur. Sed commodum in σελλίζοντα ſcriptorem hunc qvadrat Horatianum illud de ſcriptore qvodam Cyclico, Fortunam Priami, nobileqve ejus bellum decantaturiente:

Qvid

Qvid dignum tanto feret hic promissor hiatu?
Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus.

Neqve enim aliud qvid tandem prodit ex parturientibus Gronovii montibus, qvam mus ridiculus, vel sententia explosione dignissima. Legi, fateor, id libri non sine indignatione, & intima vastissimi fastus detestatione, magnoqve insimul admiratus sum opere, non surrexisse hactenus ex Φιλελλήνων ordine, qvi & sententiam Gronovii nullo firmo tibicine suffultam, subruerent, & tot excelsos pariter literariæ Reipublicæ Atlantes ab insultibus hujus ἀνθρώπου τοῦ βομβυλίου vindicarent. Fecisset id, credo, *Stolbergius*, Græcarum literarum in Alma Leucorea professor egregius, vel ob solum Calovium, Theologum ibidem primarium, cujus de morte Judæ sententia, qvamvis veterum illud καλῶς promereatur, delira tamen à superciliosissimo Criticastro appellata est. Sed qvando is jamdudum his terris matura morte ereptus est, expectandum id vindiciarum vel à Cl. *Schurtzfleischio*, qvi Stolbergio in munere illo succesit, vel abs Te, *Rechenbergi celeberrime*, qvi & ipse græcas literas pari cum illo laude, & in Philurea qvidem vestra, profiteris. Ego qvid mihi in fugitiva lectione tum pro vindicanda Calovii sententia, tum pro refellenda Gronovii succurrit, in chartam hanc conjicere, censuræqve id tuæ, imo & aliorum, si placet, subjicere volui.

Calovii itaqve, Theologi de Ecclesia nostra meritissimi, expositionem de morte Judæ qvod attinet, is in Annotatis ad Matthæum, qvæ extant in Bibliis Novi Testamenti illustratis f. 449. & 450. rejectis refutatisqve, præter fabulosam Papiæ narrationem, Grotii, Heinsii & Salmasii, ut & Pricæi, Vossii & Ligtfooti de eadem sententiis, Casaubonianam facit suam, idqve vel eo nomine, qvia, illa si admittatur, qvæ & vero non videtur absimilis, repugnantia illa locorum duorum, in verbis videlicet Matthæi c. XXVII. v. 5. ubi de Juda dicitur: καὶ ἀπελθὼν ἀπήγξατο; & Petri apud Lucam in Actis c. I. v. 18. ubi de eodem leguntur verba: καὶ πρηνὴς γενόμενος ἐλάκησε μέσος, καὶ ἐξεχύθη πάντα τὰ σπλάγχνα αὐτοῦ, non difficulter possit tolli. Ita autem loqvitur ipse Calovius l. c. *Qvæ hic est repugnantia, qvæ oppositio? Nam ne mirum qvidem, nedum* ἀδύνατον, *qvendam ex alto suspendentem & strangulantem laqveo rupto præcipitem, saxo cuidam aspero, vel ligno acuto illisum, vel etiam absqve tali illisione medium crepare &*

visce-

viſcera effundere, ſive violentia, ſive ſingulari vindicis Dei judicio venter medius crepuiſſe videatur. Hæc verba cum non ſine naſo ac vilipendio (nam non *delirum* tantum Calovii hanc ſententiam, ſed & Virum longe doctiſſimum ipſum, *hominem infirmum erga eruditionem eorum, qvibus omnia debebat*, appellat) c. VI. f. 62. adduxiſſet Gronovius: *En recoctum*, inqvit, *plane olus, ſed ex crambe magis varia moretum, qvam priorum qviſqvam concinnavit! Sit nulla oppoſitio, non mirum ſit, nec ἀδύνατον, qvod narrat, poſſit nullum violentia caſus, poſſit omnia ſingulare vindicis Dei judicium; an ideo explanata ſunt omnia, & factum eſt, prout ille voluit. Qvæ illa ſingularis ἀποκατάλυψις ipſi inſuſurravit, & laqveum fractum, & ſaxum qvoddam aſperum vel lignum acutum, nec illa modo, ſed etiam illiſionem in illa?* Sed rigoroſum Tarpam dum agere vult Gronovius, Talpa profecto eſt miſere cæcutiens, qvippe non videns, tela eadem, qvæ in optimum Calovium evibrat, revibrari in ſe ipſum poſſe. Nam ſi in Gronovii de caſu Judæ ſententiam inqviras, poſt ſedecim demum ſecula & millena ingenia Criticæ ſuæ beneficio adinventam, ſtatuit is, Judam proditorem ſe ſtrangulaſſe primum, dein inſepultum fuiſſe abjectum & qvidem hoc modo: nempe πρηνὴς γενόμενος (verba ejus refero ex p. 181.) *in publice vilibus cadaveribus & belluinis purgamentis deſtinatam voraginem ejectus eſt, qvod teſqvi inſtar eſſet horridum eminentibus illic rupibus, qvibus illud impactum eſt, ἐλάκησε μέσος καὶ ἐξεχύθη πάντα τὰ σπλάγχνα αὐτοῦ, prorſus loco tali aſpero ad id placente, ut ſic ſqvalor cadaverum, qvæ projiciebantur, & non niſi rupta ad imum veniebant colliſa, citius exſiccaretur & interiret, qvam ſi integrum alicubi in planitie abjectum putreſceret.* Qvæ verba cum protuliſſet Gronovius, hæc ſubjicit: *Videtis qvam nulla vi id extorqveatur ex verbis, qvibus illam hiſtoriam nobis prodidit Spiritus S. ſed res ipſa ultro ſeqvatur qvaſi verba & ſententiam hanc, qvam unice judicamus eſſe veram.* Ego vero verba Gronovii ſic παρῳδιάζω: Sit
„ nulla vis in hac duorum locorum conciliatione, videatur etiam res
„ ipſa ultro ſeqvi qvaſi verba & ſententiam, qvam unice veram eſſe ju-
„ dicat Gronovius. Qvæ illa ſingularis ἀποκατάλυψις ipſi inſuſur-
„ ravit, & voraginem fuiſſe circa Hieroſolymam cadaveribus NB. in-
„ ſepultis plenam, & rupes in ea fuiſſe eminentes, qvibus impacta
„ cadavera neceſſario ruperint; nec illa modo, ſed Judam πρηνῆ, non
„ ὕπτιον in vallem iſtam fuiſſe præcipitatum? Dixerat præterea Calovius;

vius: *Qvod vero vel Pricæus, & Voſſius Judam ſe præcipitem ex alto dediſ-ſe ex deſperatione, vel alius qvispiam ipſum à Diabolo in aërem raptum, & in terram præcipitatum eſſe aſſerunt, ἄπερ γραφῆς dicitur.* Qvid ad hæc Gronovius: *Annon omnia,* inqvit, *illa, qvæ modo præcedunt* (in Caloviana expoſitione) *prorſus ſunt dicta ἄπερ γραφῆς? ubi illic laqveus? ubi laqveus ruptus? ubi ſaxum, ubi ſaxum aſperum? ubi lignum? ubi lignum acutum? omnia ſunt ἄγραφα & mera Theologica.* Sed poſſum & hic παρωθικῶς (lubet enim κατ' ἄνθρωπον primum diſputare, mox etiam κατ' ἀλήθειαν) ſuccinere? " Annon omnia illa, qvæ " de præcipitato in voraginem ſaxeam Juda ſtatuit Gronovius, prorſus " ſunt dicta ἄπερ γραφῆς? Et ubi vorago illa publice vilibus cadave- " ribus & belluinis purgamentis deſtinata, eaqve tesqvi inſtar horri- " da? ubi ſaxa? ubi ſaxa eminentia? ubi ſqvalor cadaverum nonniſi " ruptorum & colliſorum? ubi cadavera? ubi cadavera exſiccata & " non ſepulta? omnia ſunt ἄγραφα & mera matæologica " Ἄπερ γραφῆς, imo & absqve autoritate aliorum ſcriptorum ſe ita ſtatuere fatetur ipſe Gronovius cap. ultimo p. 191. *Hujusmodi,* inqviens, *vallem aut morem projiciendi purgamenta & damnata cadavera fuiſſe Hieroſolymis licet nullus ſcripſerit, vel potius non meminerim me legiſſe, tamen qvi dubitare poſſim illic certe fuiſſe &c.* Nimirum αὐτὸς ἔφα videri vult Gronovius, ſed mihi φίλαυτος eſt ſibilis digniſſimus, qvippe qvi ſententiam ſuam unice veram eſſe judicat, licet *nullus* de ea *ſcripſerit.* Dubitare certe de tali voragine, qvalem fingit cadaveribus inſepultis deſtinatam, potuiſſet, ſi vel ſuperficiariam rerum Judaicarum habuiſſet notitiam. Sed de eo poſtdeinceps plura. Verba interim Gronovii, qvæ in Calovium p. 63. torſit, in Gronovium ipſum retorqveo: *Sane in explicatione verbi divini non id agitur, qvid fieri poſſit, ſed qvid factum ſit, & qvid Spiritus S per voces, qvas nobis tradidit, intellexerit.* Mihi, credo, & aliis, recoctum Calovii olus ad palatum eſt magis, qvam novum, idqve plane inſipidum Gronovii moretum. Recoctionem non diffitetur ipſe Calovius, qvippe qvi lectores ſuos Caſauboni exercitationem ad Baronium XVI. f. 450. videre jubet. Nec recoctæ illius crambes Caſaubonianæ pudere debuit Calovium, præſertim cum eam Theologos ante ſe Lutheranæ Eccleſiæ ſapientiſſimos, Gerhardum, Dietericum, Calixtum, aliosqve recoxiſſe non ignoraret. Sunt autem iſta Caſauboni de morte Judæ verba: *Habent hæ narrationes,* (Matthæi

videlicet 27. 5. & Lucæ Act. 1. 18.) *diversitatis aliqvam speciem, contrarietatis ne speciem qvidem. Matthæus expressit facti initium, Lucas finem, supplens divinitus, qvod deerat narrationi Matthæi. Consilium proditoris fuerat, strangulatione sibi vitam eripere, aptat collo laqveum, impellit se vi, ut eo facilius fauces elidat; placuit divinæ providentiæ, ut non simplici morte sceleratus proditor periret, frangitur laqveus, cadit in faciem Judas: id enim est* πρηνὴς γενόμενος*; cadit autem vel in saxum fortasse asperum, vel in ligni truncum acutum, aut aliàs, Dei judicio, venter illi finditur, intestina effunduntur. Vox* ἐλάκησε *svadet non tam casus violentia, qvam arcana Dei voluntate fissionem in ejus corpore factam esse, vi qvadam extraordinaria intus operante.* Ita loca illa duo non absone conciliat Casaubonus, Vir, Daniele Heinsio judice, maximus & incomparabilis, & qvi, Rutgersio, affini Heinsiano Var. Lect. II. c. 6. teste, ex immensa sua memoria tanqvam ex Amalthææ cornu omnes eruditionis thesauros indies, dum vivebat, solebat promere. Sed Gronovio δοκησισόφῳ Casaubonus, ita de morte Judæ commentans, non injurius tantum in Matthæum, qvod narrationi ejus deesse aliqvid innuisset, sed *stolidus* qvoqve & *inventa multum ridicularia comminiscens* perhibetur. Qvod si *passim fit in Evangelio*, ut *altera ab altera narratione amplietur & augeatur* (id qvod concedit paulo ante (p. 40.) Gronovius, & tanqvam *certam divini spiritus benevolentiam* agnoscit.) ecqvid obstat, qvo minus narratio Matthæi non satis plena suppleri à Luca vel Petro potuerit? Et qvis nescit Historiam Evangelistarum ita esse comparatam, ut qvædam à qvatuor, qvædam à tribus, qvædam à duobus, nonnulla etiam ab uno tantum Evangelista fuisse annotata? Leguntur sane in Johanne Evangelista non una, qvæ in cæteris tribus frustra qværas. Atqve hoc ipsum est, qvod tam priscis qvam recentioribus Theologis ansam dedit, Monotessaron aliqvod, vel Harmoniam Evangelistarum concinnandi, atqve adeo, qvod huic vel illi deesse deprehensum est, supplendi. Nihil ergo injurium qvid in Matthæum fecit Casaubonus, multo minus stolidum qvippiam aut ridiculùm, qvod Lucam divinitus supplesse dixit, qvod narrationi ejus defuerat. Stolidus potius ridiculusqve est Gronovius, qvod sententiam de præcipitato in voraginem & sic disrupto Juda, qva de ne γρῦ qvidem comparet tam in scriptura, qvam in antiqvitate Judaica, tanqvam certissimam Orbi literario obtrudit. Sed porro Casaubonum, bonum illum, imo optimum Criti-

cum

cum, plusqvam caninis morsibus invadit perfrictissimæ frontis Criticaster. Statuerat Casaubonus, Judam, posteaqvam fauces elisisset, aut fracto laqveo cecidisse in faciem, & saxo truncove acuto illisum, ventre rupto, viscera effudisse; aut, divina ultione sic adgubernante, fissionem corporis fuisse passum. Et qvis saniorum Christianorum non admittat, in hac Judæ morte, qva medius crepuit, aliqvid divini concurrisse? Erat enim perditissimus ille mortalium sine pari, proditorqve non φιλανθρώπου, sed θεανθρώπου unici; cujus perfidiam David Deo charissimus tribus Psalmorum locis, negotiationis item neqvissimæ præmium Zacharias, Propheta & ipse θεόπνευστος, prædixerat; qvi, dicente Christo ipso, διάβολος Joh. 6. 70. & Joh. 17. 12. solus erat ex Christi discipulis ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας; qvi deniqve singulare divinæ ultionis παράδειγμα ad finem usqve mundi debebat esse; qvidni ergo induci nos patiamur, ut credamus, in morte qvoqve ipsa sacerrimi hominis τὸ θεῖόν τι eluxisse? Pie id crediderunt non Casaubonus tantum & Calovius; sed & Gerhardus in Harmon. Evang. de passione Christi c. VIII. pluresqve alii, è qvibus & Flacius, cujus hæc super locum illum Act. 1. 18. est glossa: *Ait* (Petrus) *in suspensione medium crepuisse, & viscera ejus esse effusa, qvod procul dubio divinitus miraculoseqve factum est (neqve enim hoc solet in suspensione accidere) tum ut hoc tam novo casu magis vel innotesceret factum, & ira Dei agnosceretur, tum ut avaritia & rapacitas ejus in exemplum proponeretur.* Sed nihil providentiæ divinæ hic agnoscit Gronovius, Gerhardumqve ideo non minus, qvam Casaubonum, id piæ opinionis foventes, albis dentibus deridet. Sic enim ille p. 42. *Non secus ac si interfuisset consilio cœlesti, sic pandit fatorum ordinem Casaubonus, & qvasi inspiratus præsenter ex machina DEI voluntatem significat, ut non simplici morte sceleratus proditor periret. Plane sic qvoqve Gerhardus manifesta divinæ ultionis indicia videre potuit in crepitu, atqve item in effusione viscerum &c.* Qvotus autem qvisqve non videt, hæc scommata in Gronovium ipsum retorqveri posse? Non enim secus & ipse de præcipitato in voraginem Juda loqvitur, ac si divinitus inspiratus esset, vel ac si præsens id temporis, qvo se strangulaverat Judas, in suprema vallis illius cadaverosæ parte constitisset, vidissetqve αὐτοπροσώπως non profundum tantum illius purgamentis plenum, rupesqve hinc inde prominentes, sed & Judam πρηνῆ, non ὕπτιον in eam abjectum, saxo item impactum, disruptum, jacentemqve

ibi & insepultum & exiccatum. Habet igitur Gronovius, cur se potius, qvam Casaubonum & Gerhardum, *importunæ libertatis* accuset. Sed en hominem sibi plane non constantem: Nititur in capite hoc V. *divinæ providentiæ placitum* à morte Judæ *repellere* (hæc enim phrasis ejus est p. 43.) & supra tamen divini qvippiam & minime vulgare in eodemmet negotio agnovit ipse. Ita enim in capite I. p. 6. ubi meras ampullas pro more suo jactat: *Judæ casus pars est & momentum vel conspectissimum historiæ veteris, sed sacræ, sed sicut docentis Judæum qvoqve,* καὶ μὴ μόνον τὸ Ἀττικὸν, καὶ ἀποθνήσκοντος χεῖρ' ὑπέχειν, *ut proverbio qvondam dicebat, ita ostendentis NB. ultricem manum DEI, atq; etiam in sermone Græco, sic gubernante cœli providentia nobis traditus est.* Cur igitur immemor dictorum horum *ultricem Dei manum* in morte Judæ jam agnoscere non sustinet? Sed necdum missum facit Casaubonum Gronovius. Dixerat is *placuisse divinæ providentiæ, ut non simplici morte sceleratus proditor periret*, qvia non ἀπήγξατο tantum, sed & πρηνὴς γενόμενος ἐλάκησε μέσος; dixerat etiam, Matthæum expressisse facti hujus initium, Lucam finem. Ad hæc Gronovius: *Qvid agis*, inqvit, *Vir summe & excellentissime? Tu qvi omnes Græcorum voluminum angulos peregisti & inscrutatus es, ut inde aliqvod emolumentum traheres ad declaranda Dei scripta, tu illuc laberis, ut qvod abrupte abscisseqve factum dicit Spiritus S. tu id appelles initium & tantum voluntatem faciendi, non effectum.* Sed numqvid Casaubonus ἀπήγξατο sic intellexit, aut accipiendum scripsit, ac ἀπάγξασθαι ἐβούλετο, h. e. *voluit suffocatione se interficere?* Voluntatem sane illam fidiculis adhibitis extorqvet ex verbis ejus Gronovius. De cætero cùm strangulationem in historia hac Tragica exceperit ruptio viscerum, & Matthæus prius, Lucas posterius descripserit; qvidni dicere liceat, Judam non simplici morte periisse? Strangulatio certe cum ruptione viscerum conjuncta mors duplex dici potest, si non φυσικῶς (qvorsum Casauboniana κρίσις respicit) at ῥητορικῶς tamen. Sed non potest non ex hoc loco suas ex Hellade merces, utut plane ibi impertinentes, jactator ille exponere. Statuerat præterea Casaubonus, Judam jam suspensum cecidisse postea, vel in saxum fortasse asperum, vel in ligni truncum acutum, aut alias Dei judicio ventrem illi fuisse fissum. Hoc cogitatum *vanum*, & *nugax* est Gronovio, qvi & addit: *Nihil aut de saxo aut ligno sub furca vel arbore, vel trabe Judæ Spiritus S.* Sed vanum magis ac nugax

gax eſt Gronovii de præcipitato poſt mortem Juda aſſertum. "Nam nihil aut de voragine cadaveribus ac belluinis purgamentis deſtina-„ ta, nihil de loco tesqvi inſtar horrido, nihil de rupibus hic illic emi-„ nentibus, nihil de Judæ corpore illis impacto, nihil de ſqvallore ca-„ daverum ibi jacentium ac putreſcentium, multo minus Judæ inſe-„ pulti, Spiritus S.„ Sed audio Gronovium id ex cap. XIX. μετὰ πολλῆς φαντασίας veluti repetentem: *Plus indulgentia Spiritus S. nobis reliqvit & ſcire conceſſit, qvam putaverunt aut videntur ſcire voluiſſe viri doctiſſimi.* Ego vero nolim dicere: θεῖον ἐξαίρω λόγον, cum loqventem hic audiam hominem non à Spiritu S. ſed ab eo, qvi 1. Cor. 2. v. 12. πνεῦμα τοῦ κόσμου dicitur, agitatum; qvin meum potius id Theocriti facio ex Thalyſia:

ὥς μοι καὶ τέκτων μεγ' ἀπέχθεται, ὅστις ἐρευνῇ
ἶσον ὄρευς κορυφᾷ τελέσαι δόμον Ὠρομέδοντος.

Sed ad Caſaubonum, cujus ſententiam amplexus eſt Calovius noſter, redeo. Dixerat ille poſtremo, vocem ἐλάκησε ſvadere, non tam caſus violentia, qvam arcana Dei voluntate fiſſionem in ejus corpore factam eſſe, vi qvadam extraordinaria intus operante; nec aliud qvid ex verbo λακέω collegit Gerhardus noſter, qvam vindicis Dei indicium. Et verò cum λακεῖν & ληκεῖν, Heſychio obſervante, peculiarem qvendam ſonum denotet, & qvod Euſtathius ad Iliad. υ. notavit proprium ſit τῶν ἀψύχων, næ extraordinarium qvid intelligatur per id oportet, ſi de hominibus minimè ἀψύχοις uſurpatur; & qvandoqvidem in comperto eſt, nullius ſuſpenſi diſrumpi ſtatim ventrem, viſceraqve ſic effundi, ut oculis omnium pateant, concedendum omnino eſt, violento huic Judæ λακίσματι divini & plane inuſitati penes homines aliqvid adfuiſſe; niſi Eraſmi Schmidii ſententiam amplecti qvis velit, qvi, qvamvis in ſuſpendio Judæ ultionem divinam peculiarem agnoſcat, conjectat tamen, qvod *Judas altiore loco, in qvo laqveum certo loco affixum, collo ſuo adaptarit, poſtea in extrema deſperatione, præceps deſilierit, adeo, ut in ſubita illa compreſſione gutturis & viæ reſpirationis, propter aërem reſpirando-hauſtum incluſum, non peritonæum tantum, ſed & cutis abdominis, ſubito & cum crepitu diſrupta fuerit.* Et ſane hoc modo fieri rupturam qvandam viſcerum poſſe, non dubium eſt; qvemadmodum & apud Lucanum Lib. II. ubi miſera belli civilis facies deſcribitur:

Hic laqveo fauces, elisaqve guttura fregit,
Hic se præcipiti jaculatus pondere dura
Dissiluit percussus humo. - - -

Sed audiamus & hic Gronovianam de Casauboni & Gerhardi expositione censuram. Hic vero totus est μαψίλακτος ipsemet, dum dicit (p. 42.) *Hoc palam falsum & inane est, & plane id non subindicatur isto verbo* (ἐλάκησε) *vel minimo qvodam modo. Res tanto intolerantior & digna, qvæ exagitetur etiam convitiis, qvo levius eadem involvit Gerhardum &c.* & post recitata Gerhardi verba: *Inania si qva unqvam. An ergo ubi dicitur* λακεῖν, *non hominum manus & violentiam, sed vim qvandam extraordinariam intus operantem aut singulare Dei judicium subaudire debemus? Immo verò ut est per se vox communis, sic valde ingenua in eo, qvod rumpitur ac sonat inter rumpendum, ut in lapsu aut alio pacto.* Qvasi vero tam obtusa gestarint pectora Casaubonus & Gerhardus, ut qvotiescunqve in autoribus Græcis vox λακεῖν occurrit, semper vim extraordinariam connotare illam existimarint. Agnoverunt id viri oculatissimi in solo Juda, qvi ἐλάκησε tanqvam homo, inusitato plane & extraordinario modo, non ἐν τοῖς ἀψύχοις, qvoties λακεῖν dicuntur. Qvod cum ad oculum cuiqve pateat, qvid opus iterum opibus illis ex Stephani thesauro ἀπροσδιονύσως & plane pueriliter allatis? Et qvid opus περιλίσμασι in eodem capite aliis? Casaubonum tandem deserturus non Calovium tantum ei assentientem verbis, qvæ supra retudimus, mordacibus vellicat, sed & Casaubono corollarii velut loco id objicit, qvod nil novi dixerit de casu Judæ, sed aliorum à Feliciano jam relatam sententiam recoxerit; qvasi non satius sit aliorum non improbabilem amplecti opinionem, qvam novam, eamqve falsam comminisci, qvalem Gronovianam esse, uti indicavi jam, ita ulterius, & qvidem clarissime demonstratum ibo, si aliud telum qvoddam, qvod in Calovium torsit, retudero. Torsit autem ista Gronovius in capite VII, in qvo non minus, qvam in subseqvente, Danielis Heinsii sententiam excutit, ex ingenti mœrore animi contracto morbo & spiritus angustia, ἀγχόνῃ nempe seu angina, Judæis familiari morbo, qvi fauces sive summas gulæ gutturisqve partes cum anxietate maxima præcludit, strangulatum qvasi Judam fuisse arbitrati; cui & calculum suum Hugo Grotius, Ludovicus de Dieu, Joh. Pricæus, & è Germanis duo Becmanni, Fridericus, & Joh. Christophorus, SS. Theol. Doctores re-

reformati adjecerunt; (videatur poſterioris Becmanni diſſertatio hiſtorico-politica de Judiciis Dei cap. VI. §. V. ſub finem.) Iſthanc Heinſii & ſeqvacium ſententiam rejecerat Calovius his verbis: *Neqvicqvam à Tob. III. 12. aliam vocis hujus ſignificationem cum Heinſio probant, ubi de Sara dicitur, ἐλυπήθη σφόδρα, ὥστε ἀπάγξασθαι. Nam ſenſus planus eſt, mœrore affectam valde, qvaſi obturato gutture animam exhalare vellet, ubi comparationem ὥστε indicat, non ſuſpendio ſibi vitam voluiſſe finire, ſed ita mœrore affectam fuiſſe, ac ſi ſtrangularetur, & oppreſſo gutture, vel conſtricto collo animam eſſet exhalatura, qvalis comparativa particula hic (nempe in loco Matthæi 27. v. 6.) non habetur.* Sed ne hæc qvidem Calovii verba (qvamvis paulo ante, p. 69. qvæ Heinſio & Grotio reſponderat, non improbaſſet) ſine dente transmittere Gronovius potuit. Sic enim ille p. 72. cum eadem, qvæ jam recitavi, Calovii verba retuliſſet: *An ignoravit ille, qvanta ſit differentia inter Græcas particulas ὡσεὶ & ὥστε? ὡσεὶ paſſim notat id, qvod hic imaginatur ſibi de vocula ὥστε, qvas profecto negari neqvit eſſe alias; atqve adeo ſi viveret aut Grotius aut Heinſius, ut plane hoſpitem in Græcis vel dedignarentur vel deriderent hunc Theologum, ſicut in illis voculis, ita in univerſo ſenſu ejus periodi ceſpitantem.* Sed en! iterum fit talpa hic Tarpa, nec videt, qvod aſciam, qva Calovium petit, propriis allidat cruribus. Nam ſi ὥστε (diſputo iterum κατ' ἄνθρωπον) comparationem hoc loco non indicat, ἀπάγχεσθαι profecto ſignificatum illum, qvem exemplis ex Herodoto, Thucydide, Æliano, Arriano, Artemidoro, Ariſtophane, Theocrito, Epigrammatariis, Xenophonte, Polybio, Appiano, Luciano, Heſychio, Euſtathio & Hippocrate probatum ivit Gronovius h. e. *ſtrangulationem per laqveum factam*, obtinere in loco Tobiæ non poteſt. Neqve enim Sara, caſtiſſima illa fæmina, qvamvis à maledica ancilla ἀποπνίγουσα τοὺς ἄνδρας appellata eſſet, in tantum ἐλυπήθη, ut laqveum collo aptans vitam finiret, qvippe qvæ non locuta tantum ulterius, & Deum qvam ardentiſſime precata, ſed & piiſſimum Tobiam maritum nacta, & ex eo ſeptem filiorum facta mater eſt. Deinde, qvamvis totam Hellada ſecum in ſcrinio pectoris circumferre ſe putet Gronovius, in eo tamen *hoſpitem in Græcis* ſe prodit ipſe, qvod ὥστε idem penes Græcos ſignificare negat, qvod ὡσεί. Diſcere id poterat ex Theſauro Stephani, ad qvem ſupra præter neceſſitatem contra Caſaubonum & Gerhardum provocabat. Nam in voce ὡσεὶ Tom. IV. f. 822.

ſic præter alia Stephanus: *Ut hic ὡσεὶ interpretor utpote, ita etiam ὥστε apud eundem Poetam* (Homerum) *iſtam interpretationem poſcere mihi videri docebo, ubi de hac particula agam.* Hujus promiſſi memor idem Stephanus in voce ὥστε ſub finem p. 827. ὥστε (*pro ὡς*) *idem valens, qvod ut, cum habet ſimilitudinis ſignificationem;* allegat etiam duo loca ex Homeri Iliad. γ. nempe ὥστε λέων, & ὥστε θεὸς, in qvibus ſane ὥστε nihil aliud qvid, ac *ſicut* vel *tanqvam* ſignificat. Sed hæc tantummodo, ut Logicorum filii loqvuntur, ad hominem. Alias, ſi pronunciandum mihi, qvid ſentiam, ὥστε heic loci non idem eſt, qvod ὡσεὶ, ſed qvod aliæ Græcorum particulæ ὄφρα, ὅπως, & ἵνα. Nam qvotiescunqve ὥστε cum infinitivo apud Græcos conſtruitur, ſignificat utplurimum *ut*, vel *adeo ut*. Qvæ cum extra dubitationis aleam, penes me qvidem, ſint poſita, remanet omnino id, qvod verbum ἀπάγχεσθαι in loco Tobiæ allegato non ſtrangulationem colli, id qvod etiam res ipſa loqvitur, ſed excruciationem animi deſignet. Et ita omninò eſt, qvicqvid etiam Gronovius contra oggänniat. Tametſi enim Heinſio ejusqve aſſeclis tanqvam pedaneus ſenator non accedo, Judam ex angore animi ſtrangulatum qvaſi fuiſſe exiſtimantibus, verbum tamen ἀπάγχεσθαι in loco Tobiæ illo non niſi de anxietate animi, circumſtantiis id reqvirentibus, intelligo. Neqve qvicqvam ego, qvo minus idem verbum ἀπάγχεσθαι etiam alibi ſic accipiatur, obſtare video. Nam uti nullum propemodum verbum eſt in qvacunqve lingva, qvin proprie pariter ac improprie uſurpetur, ita vocabula qvoqve, qvæ ſtrangulationem proprie ſic dictam denotant, ad anxietatem qvamvis exprimendam adhiberi tam certum eſt, qvam qvod certiſſimum. Et qvænam qvæſo vox eſt, qvæ non ſit ἐκ τῶν πολλαχῶς λεγομένων? Penes Hebræos חנק proprie ſtrangulationem per laqveum extrinſecus injectum ſignificat; qvemadmodum & ita de Achitophele 2. Sam. 17. 23. qvi ſe ipſum laqveo præfocaverat, accipitur. At ita accipi non poteſt penes Hiobum c. 7 v. 15. ubi anima ſuſpendium elegiſſe dicitur; ut & penes Prophetam Nah. c. 2. v. 12. ubi Leo id, qvod rapit, ſuis leænis ſuffocare perhibetur. Neqve enim anima tanqvam ſpiritus laqveo ſtrangulari poteſt, neqve Leo, dum feras alias pro victu catulorum ſuorum trucidat, laqveum illis injicit. Nec aliter penes Latinos vox *ſtrangulare* ſumitur. Nam proprie id eſt, gulam ſtringendo necare, ſeu, ſe ipſum laqveo adhibito ſuffocare; qvanqvam Svetonius in Claudio ſcri-

ſcripſit c. XXVII, qvod *Druſum Pompejis impuberem amiſerit, piro per luſum in ſublime jactato, & hiatu oris excepto ſtrangulatum.* Tralate autem eadem voce uſus eſt Qvintilianus lib. VIII. *ſtrangulat ſegetes nimia terræ letitia*: & Juvenalis Satyra X.

Sed plures nimia congeſta pecunia cura
Strangulat;

Et Ovidius:

Strangulat incluſus dolor;

Qvem imitatus eſt Rappoltus veſter, Poeta certe cum priſcis comparandus, in poematis p. 40. ubi Academia lugens poſt obitum Sereniſſimi Electoris Saxoniæ JOH. GEORGII I. ſic leſſum orditur:

Hactenus incluſus latet, & cor ſtrangulat intus
Immenſus patriæ dolor.

Qvemadmodum itaq; Hebræorum חנק, & Latinorum *ſtrangulare* proprie pariter ac improprie uſurpari amant, ita Græcorum qvoqve verba duo ἄγχειν & πνίγειν, vel ἄγχεσθαι & πνίγεσθαι. Sunt enim hæc duo, ut Grammaticis audiunt, Synonyma, qvorum & unum per alterum explicari videas. Nam in Etymologico magno ἄγχω exponitur per πνίγω; ſic apud Heſychium ἀγχόνη eſt πνιγετὸς, & ἄγχος, πνίγμα; nec non apud Suidam ἀγχονήσας, πνίξας; addo locum Chryſoſtomi in homilia XXII. ad populum Antiochenum, ubi de extremo judicio loqvitur, in qvo futuri ſimus πνιγόμενοι καὶ ἀγχόμενοι τῷ συνειδότι. Utrumqve horum verborum proprie ſignificat ſtrangulare, vel fauces reſte præcludere; ſed per metaphoram de excruciatione qvavis ſumi ea aſſolent. Nam qvod πνίγειν attinet, id Luciano in his verbis nil aliud eſt, qvam urere, vel angere: ὃ δὴ μάλιστά με πνίγει, τοῦτ' ἐστι. Sic apud Matthæum 18. v. 28. ubi debitor ſervus conſervum ſuum κρατήσας ἔπνιγε, non intelligitur per τὸ ἔπνιγε ſtrangulatio propria, ſed figurata, qvia mortem ipſam non induxit; ſicuti & Polluci in Onomaſtico rigoroſus creditor eſt ἀποπνίγων τοὺς ὀφείλοντας. Et qvid ὑστερικὴ πνὶξ in mulieribus, niſi vulvæ ſtrangulatio? Jam ἄγχειν qvoqve & ἄγχεσθαι non de ſtrangulatione tantum per laqveum facta, ſed & de excruciatione qvavis μεταφορικῶς ſeu generatim hinc inde accipitur. Et benè Stephanus in Theſauro: Ἄγχω, ait, *non tantum fauces conſtringo ſignificat, ſed latius accipitur pro Qvovis modo conſtringo, ſive coerceo pro* περισφίγγω *ſive* θλίβω &c. Sane uti πνίγειν

duris penes Matthæum tribuitur creditoribus, ita & ἄγχω apud Basilium & Chrysostomum, prout Walæus ex Pricæo ad locum illum Matthæi p. 203. annotavit. Sic ἀγχόνη non strangulatio tantum est, vel ipse laqveus, sed, uti Stephanus ait, *etiam pro re qvavis sumitur, qvæ angit & cruciat aliqvem vel urit, ut loqvitur Terentius*, qvi & hæc addit Æschinis: τοῦτο γὰρ ἄρα ἦν ἀγχόνη καὶ λύπη τούτῳ i. e. *hoc illum urebat, hoc eum angebat, vel cruciabat. Metaphoram Græcam, reddendo Latina, ἀγχόνη ἦν τούτῳ, aptissime verti posse existimo, Crux erat illi.* Et nonne ψυχὴν ἄγχειν, animam coercere dixit Chrysostomus? vid. Suicerus in Ἄγχω. Sed facile hæc omnia largietur Gronovius de verbis πνίγειν & ἄγχειν; minime vero de τοῦ ἀπάγχεσθαι, qvippe qvod nihil aliud, & semper qvidem, significare contendit, qvam violentia extrinsecus in collo adhibita, qvæ circuitu laqvei id angustet, animam elidere. Sed si πνίγειν & ἀποπνίγειν ejusdem in scriptoribus sunt significatus, qvod Gronovius p. 159. videtur concedere, qvidni & ἄγχεσθαι & ἀπάγχεσθαι? Et nonne apud Suidam: ἀπαγχονίσαι est πνῖξαι? qvi & hoc addit: ἀγχονῶ γὰρ, καὶ λιμαγχονῶ. Verum ἑκὼν ἀέκων concedat oportet Gronovius, non de strangulatione proprie sic dicta, sed de excruciatione tantum animi τὸ ἀπάγχεσθαι in loco Tobiæ illo intelligi, nisi qvam absurdissime statuere velit, Saram strangulasse se primum laqveo, dein in vitam fuisse mox revocatam, ut preces fundere ad Deum, nubere item Tobiæ, & liberos gignere potuerit; cum voculam ὥστε pro ὡσεὶ, seu comparative, qvod volebat Calovius, non accipi debere in loco illo contenderit. Et vero ut ἄγχεσθαι, ita & ἀπάγχεσθαι non de strangulatione tantum per laqueum fieri sueta, sed κυρίως de suffocatione, imo de quavis morte, nec non μεταφορικῶς de quavis animi excruciatione vel angore (nam convenientia quædam est inter voces hasce diversarum linguarum, ἄγχεσθαι, ἀπάγχεσθαι, angere & angustare, Angst/ängsten/ ut & inter στραγγαλᾶν, strangulare, streng/ strengen/ anstrengen) acceptum olim Græcis fuisse nil dubii est. Ita certe id verbi intellexit Virgilius, Græcæ lingvæ non ignarus. Nam cum Theocriti illud: ἀπάγξασθαί με ποιήσεις, latine vellet exprimere, non restis aut laquei ullius fecit mentionem, sed ita reddidit: *mori me deniqve cogis*; quod profecto nihil aliud est, quam Terentianum isthoc, quod in Andria & Phormione occurrit: *Enecas me*, h.e. *excrucias me*. Nam & *enecare*, adeoque & ἀπάγχεσθαι sunt dicta, quæ ani-

animum excruciant, vel quæ magno sunt tædio; quemadmodum & Germani nostri dicunt: Du qvälst mich zu tode/ h. e. ad mortem usque me excrucias, item, das ist noch mein Tod/ h. e. hæc res est mors mea; sicuti & risu *emori* penes Comicos latinos perhibentur, non qui actu ipso emoriuntur, sed qui effusissimo risu ad internecionem propemodum rediguntur; quorsum & illud Plutarchi pertinet in libro de discrimine adulatoris & amici: Σὺ μὲν ἀκαίρως ἐγέλας· ἐγὼ δ' ἐξέθνησκον ὑπὸ τοῦ γέλωτος. Verum Gronovius uti ἰδιογνώμων est sine pari, persuasissimumque penes animum suum habet, verbum ἀπάγχεσθαι non aliter fuisse à Græcis acceptum, quam de strangulatione per laqueum facta, ita illud Theocriti sic interpretatur p. 88. *Cogis me ire ad laqueum*; illud autem Aristophanis in Nebulis, (ubi Strepsiades, cum Socrate colloquens introducitur) ἀπαγξαίμην τρέχων, ita παραφράζει pag. 87. *repente domum fugiens me strangulem*; quasi τρέχων idem sit, quod *repente domum fugiens*, & quasi non aliorsum τρέχειν seu currere potuisset Strepsiades, & vel laqueo extra domum, vel aqva se suffocare. Nam ἀπαγχόμενοι non illi tantum dicti, uti Marcus Hopperus in Dictionario Latino-Græco annotavit, qvi laqveo, sed & qvi aqva sunt suffocati. Ἀπάγχω etiam apud Stephanum & Svicerum non strangulare tantum, sed & suffocare significat, & nonne per suffocationem in aqvis æqve, ac per restem collo injectum, anima violenter eliditur? Apud Homerum Iliad. τ. canis νέβρον ἀπάγχων dicitur, plane ut apud Prophetam Nahum c. II. de Leone τὸ מחנק, prædam pro catulis suffocante. Qvod proverbia duo attinet, qvæ pro sua opinione adducit Gronovius p. 159. non abnuo in altero, ἀπάγξασθαι, qvod Suidas refert, de strangulatione per laqveum intelligendum, cum ξύλου & qvidem τοῦ καλοῦ expressissima fiat mentio. Sed in primo, qvod Zenobii est, per idem verbum non suspendium tantum, sed qvamvis mortem violentam, qvam qvis sibi ipsi consciscit, denotari haud dubito. Nam in evolutione ejus infames penes Thebanos habiti perhibentur οἱ ἑαυτοὺς ἀναιροῦντες, item οἱ αὐτόχειρες ἑαυτῶν γινόμενοι. Αὐτόχειρες autem dicuntur non solum, qvi laqveo seipsos strangulant, sed & qvi qvovis modo seipsos perimunt. Ut taceam proverbium: Τί οὐκ ἀπήγξω, ἵνα Θήβησιν ἥρως γένῃ, non sic tantum exponi: *Cur te non suspendis, vel suspendisti, Thebis heros ut fias*; sed etiam à Cognato, qvod & Schottus observavit: *Qvid non detrectas, ut*

heros Thebis fias. Sic in loco qvoqve Strabonis, qvem tertio loco adjicit Gronovius p. 160. τὸ ἀπάγξασθαι non de ſtrangulatione propriè ſic dicta, ſed generatim de morte violenta intelligendum eſſe, Cicero Græcæ lingvæ longe callentiſſimus, probe vidit; unde & verba illa, qvæ de Epheſiis, cum principem civem ſuum Hermodorum ex civitate ejeciſſent, Heraclitus protulerat, ἄξιον Ἐφεσίοις ἡβηδὸν ἀπάγξασθαι, ſic reddidit l. V. Tuſculanarum Qvæſt. *univerſos Epheſios eſſe NB. morte multandos*; morte, inqvam, multandos, non ſtrangulandos; plane ut Virgilius Theocriti τὸ ἀπάγξασθαι non niſi per *mori* expreſſit. Et qvid obſtat, qvo minus, ſuffocatio per aqvam, inprimis per τὸ ἀπάγξασθαι, heic denotetur, cum Epheſus eopſe loco à Strabone laudetur tanqvam urbs maritima & commodiſſimo portu exornata? Video eqvidem denſiſſimum qvoddam agmen autorum à Gronovio cap. XVIII. allegatorum, qvibus ἀπάγχεσθαι non aliud qvid denotat, qvam laqveo ſe ſtrangulare vel ſtrangulari; ſed qvis negavit unqvam id verbi propriè ſtrangulationem per laqveum inuere? Nihil autem præterea prohibet, qvo minus eadem vox laxius ſumta de ſuffocatione in aqvis, imo de qvavis morte non naturali, ut & de excruciatione animi ſubinde intelligatur. Nec abſurde dixit Coccejus, cumqve eo Momma, Judam potuiſſe ἀπάγχεσθαι h. e. *anima interclusa mori, ſive in barathrum ſe conjecerit, ſive gula obligata in profundum ſe præcipitaverit, ſive ex arbore infelici ſeipſum ſuſpenderit, & ramo fracto prociderit.* Sed uti Archi-Criticus, & ipſo Salomone, ut ſic dicam, Salomonior ſibi videtur Gronovius, ita Coccejum qvoqve, qvem *adoleſcentiam ſuam magnum Academiæ Leidenſis nomen vidiſſe* p. 93. profitetur, ob verba hæc minime inſulſa *inſulſum* vocat, & *virum vix ullum lingvarum guſtum habentem*; Mommam autem eadem repetentem atqve interpolantem in *balbutientem* puerum (nam *en balbutiem*, inqvit p. 93.) convertit. Nec mitius tractat Suicerium eadem recinentem; qvippe qvem non ἀνόητον tantum facit cum Synopſis Criticæ autore, p. 110. ſed & Theſaurum ejus Eccleſiaſticum, viginti annorum opus longe laborioſiſſimum pariter atq; utiliſſimum, deaſtri alicujus σηκὸν, & templum Ægyptiacum p. 108. non ſine vilipendio appellat. Ita nimirum qvod Piſides de Cosroë Perſarum Rege dixit, γιγαντιᾷ καὶ τυραννῆσαι θέλει; ſed Eruditis id minime approbantibus, imo deteſtantibus. Non defore ſpero inter Reformatos, qvi Coccei ac Mommæ, Matthæi item Poli, ac Suiceri cauſam hac in re

con-

contra Criticum tam superciliosum ac impudentem agant; Ego Calovium saltem vindicare à cavillationibus illius volui, ita qvidem, ut omnia tuo, Vir Cl. submittam judicio, lubentissime correcturus qvidvis, sicubi errasse, aut non recte sensisse visus tibi fuero.

At nondum desinit Gronovius Calovio aprugnum dentem infigere, qvi commode proverbium illud *Sus Minervam* in memoriam mihi revocat. Calovius, postqvam in annotatis ad locum illum Matth. 27. 10. non Grotii tantum, sed Heinsii qvoqve & Salmasii sententias de morte Judæ satis erudite confutasset, Lightfooti etiam, Theologi Angli, opinionem de eodem argumento rejecit, rati qvippe seu potius commenti, raptum à Diabolo in sublime Judam proditorem strangulatum ac præcipitem fuisse, datum ita ut terræ allisus iste rumperetur medius, effunderentur ilia, horrendoqve adeo exitu egrederetur, qvi in ipso habitaverat Cacodæmon; qvam Lightfooti sententiam & suam fecit D. Henricus Müllerus, Theologus Rostochiensis, qvi & alias non parum frumenti ex Anglorum Theologorum granariis collegisse (ut mollissime dicam) fertur. Sunt autem ista Calovii de hac sententia verba, certe ἐδὲν ἄλογον præ se ferentia: *Qvi dicunt, Judam in sublime à Diabolo raptum & strangulatum, ac præcipitem datum, ita ut ad terram allisus moreretur, qvod post Joh. Lightfootum in Matth. Hor. Hebr. p. 307. D. Henrico Müllero Rostochiensi etiam placuit in Jesu patiente p. 83. testimonio & autoritate omni destituuntur. Neqve enim seqvitur, Diabolum eum strangulasse, qvia eum jam per triduum inhabitarat; causa moralis strangulationis Diabolus fuit, non Physica.* Sed ut hîc qvoqve nodum in scirpo qværat Gronovius, id censuræ Calovianis verbis p. 150. adjicit: *Sed non qværitur, utrum id seqvatur, nec ne. Neqve enim Lightfootus hanc causam sententiæ suæ edidit, qvia Diabolus Judam per triduum jam inhabitarat, ideo se id putare qvoqve à Diabolo factum; sed tantum ex eo cepit occasionem sic commentandi, ut palam ex ejus verbis potest cuivis patere.* At expressissima hæc Lightfooti de Juda sunt verba: *Cum jam post projectos in templo proditionis suæ nummos recederet, ad suos reversurus, raptum eum in sublime Diabolus, qvi in ipso NB. habitabat, strangulavit ac præcipitem dedit &c.* Cui succinens Mullerus: *Proditor*, inqvit, *ab Diabolo strangulatus fuit, qvum hic jam triduum in eo sedem & habitationem cepisset.* Qvæstio itaqve omnino est, an, qvia Diabolus Judam per triduum inhabitarat, necessario id conseqvatur, qvod Judas ab eodem in sublime

raptus, ſtrangulatusqve ac præceps datus fuerit. Sed recte Calovius Diabolum non Phyſicam, ut Philoſophi vocant, ſed moralem tantum ſtrangulationis in Juda agnovit cauſam. Gronovius autem eopſe loco triumphanti ſimilis: *Decernite, oro,* inqvit, *qvid magis teſtimonio & autoritate deſtituatur, utrum Ligtfootina ſtrangulatio per Diabolum, an Caloviana illa, laqveus ruptus, & ſaxum aſperum, & lignum acutum &c.* Ego vero & hic poſſum παρῳδιάζειν: "Decernite, oro, qvid magis
"teſtimonio & autoritate deſtituatur, an Caloviana de morte Judæ
"ſententia, an Gronoviana illa, vorago vilibus cadaveribus & bellui-
"nis deſtinata, & tesqvi inſtar horrida, rupes illic eminentes, cadaver
" Judæ illis impactum, ſqvalor cadaverum ibi projectorum, eadem ru-
"pta ad imum & colliſa, & facilius ibi, qvam in planitie putreſcentia.
" Sed deſino παρῳδεῖν.

Diſpiciendum nunc, vindicato pro virili mea Calovio, de nova, eaqve qvam ampulloſiſſime jactata, Gronovii de caſu Judæ ſententia; qvin videndum tandem, ecqvid miraculi ex montibus tantopere parturientibus prodeat. Id vero cernere eſt in capite XX, qvod & ultimum eſt. Qvod priusqvam excutiam, non poſſum XIX, qvod proxime id antecedit, ſicco plane pede prætergredi. In eo poſt ampullarum aliqvot projectionem p. 172. *Poſſemus,* inqvit, *contra omnes eruditos commentatores ſeqvi vetuſtiorem interpretem, & ut nulla exiſtat controverſia inter Lucam & Matthæum affirmare, voces* πρηνὴς γενόμενος *recte & doctius qvam cenſent, ab eo verſas eſſe SUSPENSUS, ut nunc idem id diceret, qvod Matthæus per* ἀπαγξάμενος, *ut PRÆCIPITATUS plane idem ſit qvod SUSPENSUS, idqve auctoritate caſtiſſimæ latinitatis.* Sed præterqvam qvod ipſa ſana ratio dictitat, diverſiſſima eſſe *ſuſpenſum eſſe* & *præcipitatum,* vel *deciduum* ac *delapſum* eſſe, qvis qvæſo caſtorum Latinorum dixit *præcipitatus* vel *deciduus* aut *cadens* pro *ſuſpenſus?* Profert eqvidem locum ex Silio, ubi *barba mento cadere* dicitur, & præter alia tria loca, videlicet Statii & unum Senecæ, verſum illum Claudiani:

Præceps ſangvineo delabitur igne Cometes.

Sed

Sed ineptiſſime profecto, & plusqvam pueriliter. Et nunqvid hæc Latinorum poetarum verba vel tantillum faciunt ad exponenda verba hæc Græca: πρηνὴς γενόμενος? Obtorto autem veluti collo huc traxit Claudiani verſum iſtum, ut Nicolaum Heinſium, Criticum hactenus celeberrimum, amiciſſimumqve qvondam parentis ſui corculum, ex malevolo ambitioſoq; animo, de ponte Critico poſſit dejicere. Nam qvia in verſu eodem legendum cenſuerat *præpes* pro *præceps*, & *dilabitur* pro *delabitur*, ſecus qvam pater olim legerat, ideo immanes manes jam patitur bonus Heinſius, & ſtylo Gronoviano, *gargaridiare copiam exemplorum ex poetis, ſed plerumqve nullo cum judicio ac parcimonia* dicitur. Sed duas haſce Heinſii lectiones dum refellit Gronovius, nugaciſſimum ipſe per aliqvot paginas agit, *nullo* itidem cum *judicio* ac *parcimonia, Criticum vocabularium*, vel ut ſupra ſcapham ſcapham vocavi, *Varilectionarium*. Poteſt autem & hîc ſuo jugulo jugulari Gronovius. Credit p. 170. Judam per infelicem reſtem fuiſſe ſtrangulatum, ſuſpenſumqve fuiſſe vel ex ligno erecto, vel arbore, vel clavo muris impacto; ereptum poſtea ex laqveo, & πρηνῆ γενόμενον, h. e. in voraginem cadaveribus ac purgamentis deſtinatam præcipitatum. Jam ſi ἀπαγξάμενος ipſi idem eſt, qvod *præcipitatus*, & πρηνὴς γενόμενος idem qvod *ſuſpenſus*, qvod utrumqve p. 172. & ſeqq. affirmare non dubitat, Judam ex propriis aſſertis bis præcipitatum & bis ſuſpenſum agnoſcere, non ſine indicio grandis ἀῤῥωςήματος, Gronovius cogitur. Sed hactenus κατ᾽ ἄνθρωπον.

Ut igitur κατ᾽ ἀλήθειαν qvoqve contra Gronovium agam, exponenda prius ejus de morte Judæ eſt ſententia. Ea vero tum ex illis, qvæ dicta ſunt hactenus, ſatis patuit, tum ex eo, qvod ultimo capiti præfixit, antepagmento; qvod ita habet: *Vera ſententia verborum Lucæ veſtigata & producta. Judas poſt laqveum non ſepultus, ſed abjectus in locum ſceleratum, ut ſolebat ſtatui in maledictorum cadaveribus ſepultura indignis.* Huic ſententiæ ſuæ poſt qvindecim demum ſeculorum tenebras & millena aliqvot ingenia, ut in dedicatione ſtultiſſime gloriatur, adinventæ, cum adverſari videret legem divinam illam Deuteron. 21. 23. ſeqq. *Qvando peccaverit homo, qvod morte plectendum eſt, & adjudicatus morti apprehenſus fuerit in patibulo, non permanebit cadaver ejus in ligno, ſed in eadem die ſepelietur; qvia maledictus* NB. *à Deo eſt,*

qvi

qvi pendet à ligno, & neqvaqvam contaminabit terram tuam, qvam Dominus Deus tuus dederit tibi in poſſeſſionem; concedit eqvidem Gronovius legem illam olim Judæis fuiſſe datam, ſed addere nil verecundatur, eam tum, cum Judas ſeſe ſuſpendit, fuiſſe abolitam. Ita enim diſſerit p. 180. *Nullus nec Judæus nec alienigena pendens qvocunqve modo, ſi ſciretur, & notum eſſet, poterat illic continuare per noctem & opperiri ſeqventem lucem* (adverte phraſes Gronovii de ſuſpenſis) *præſertim in terra ſancta, ſiqvidem ſeqvimur divina Judæorum inſtituta; ſed paulatim & maxime hoc tempore abolitum erat hoc Dei mandatum. Ergo demendus erat Judas ex laqveo, non ob divini præcepti autoritatem* (en hominis impudentiam!) *ſed ut tolleretur ex urbe vel ex loco publico iſte abominandæ fœditatis conſpectus, & graveolentia ex futuro putore carnis.* Qvodſi teſtimonia & autoritates de abolitione divini illius mandati reqviras, rana Seriphia magis mutus eſt Gronovius. Dicit eqvidem p. 181. *Nulla legitime & honeſte conſtituta civitas id patiebatur, ut eorum cadavera, qvi ſe ipſi in urbe aut loco publico aut in privatis ædibus interemerunt, illic relinqvantur, donec reſolvantur, & ipſa ὀδμὴ ibi θάψῃ, ut de ſe dicebat Demonax &c.* Sed qvotusqvisqve vel ſubdoctulus tantum ignorat, longe diverſas Græcorum, Romanorum, aliarumqve gentium à Judaicis fuiſſe leges & conſvetudines? Addit qvidem & hoc: *Hic mos cum apud Judaos qvoqve eſſet illo tempore, qvo tanta coierat illuc colluvies Græcorum, Romanorum aliorumqve ex peregrinis populis ethnicorum &c.* & mox: *Hoc igitur cum etiam Hieroſolymis obtineret &c.* At ecqvis Scriptorum Judaicorum memoravit uſpiam, legem illam divinam de ſuſpenſis per noctem non inſepultis relinqvendis id temporis fuiſſe antiqvatam? Hîc Rhodus itaqve eſt, hîc ſaltandum Gronovio. Sed qvi thraſonica magniloqventia in capitibus antegreſſis eruditionis ſuæ Græcæ theſauros expoſuit, nunc friget miſere ac hæret ceu mus in pice, imo ne unicum qvidem ex antiqvitate Judaica patrocinium afferre pro ſententia ſua potis eſt. Et vero qvî poſſet? Falſiſſima enim eſt, legibusqve & moribus Judaicis, qvam veriſſimam venditat, longe adverſiſſima ejus ſententia, qvod Judæ videlicet ſuſpenſi tempeſtate corpora ſuſpenſorum in voraginem qvandam abjecta citra ſepulturam fuerint. Alia omnia nos docet Flavius Joſephus, diligentiſſimus & φιλαληθέστατος ſcriptorum omnium, Joſepho Scaligero judice, qvi & audacter dicit, ei non ſolum in rebus Judaicis, ſed in externis qvoqve

tutius

tutius credi, qvam omnibus Græcis & Latinis. Is enim, cum in libro Antiqvitat. Judaicarum IV. cap. VIII ubi Moysis leges referuntur, de contumaci in parentes hæc protulisset verba: παραχθεὶς ὑπ' αὐτῶν τούτων ἔξω τῆς πόλεως τοῦ πλήθους ἑπομένου καταλευέσθω, καὶ μείνας δι' ὅλης τῆς ἡμέρας εἰς θέαν τῶν ἁπάντων NB. θαπτέσθω νυκτός; sic pergit: οὕτως δὲ καὶ οἱ ὁπωσοῦν ὑπὸ τῶν νόμων ἀναιρεθῆναι κατακριθέντες. Θαπτέσθωσαν δὲ καὶ οἱ πολέμιοι, καὶ NB. νεκρὸς μηδὲ εἷς γῆς ἄμοιρος κείσθω περαιτέρω τοῦ δικαίου (propter legem videlicet divinam) τιμωρίαν τιννύων. Idem in eodem capite de blasphemo: ὁ δὲ βλασφημήσας θεὸν, καταλευσθεὶς κρεμάσθω δι' ἡμέρας, καὶ ἀτίμως καὶ ἀφανῶς θαπτέσθω. Et ne abolitas forte has leges existimare cum Gronovio qvis posset, etiam suo ævo (vixit autem post Judam excidii Hierosolymitani tempore) eas qvam sanctissime fuisse servatas, idem Josephus fide dignissimus attestatur. Nam in l. IV. de bello Judaico c. 7. ubi cladem Judæorum ab Idumæis factam describit, Idumæos eo usqve impietatis progressos esse refert, ut insepultos Judæos abjecerint, cum tamen sepulturæ penes Judæos tanta sit cura, ut etiam judicio cruci suffixos ad occasum deponant ac sepeliant. Verba Josephi ipsa sic habent: προσῆλθον δὲ (οἱ Ἰδουμαῖοι) εἰς τοσοῦτον ἀσεβείας, ὡς τε καὶ ἀτάφους ῥῖψαι, καίτοι τοσαύτην Ἰουδαίων? περὶ τὰς ταφὰς πρόνοιαν ποιουμένων, ὥστε καὶ τοὺς ἐκ καταδίκης ἀνασταυρουμένους πρὸ δύντος ἡλίου καθελεῖν τε καὶ θάπτειν. Nec eximendi hîc veniunt αὐτόχειρες, qvalis Judas extitit. Sic enim idem Josephus lib. III. de bello Judaico c. 14. ubi gravissime cordatissimeqve contra αὐτοχειρίαν perorat: τοὺς γοῦν, inqvit, ἀνελόντας ἑαυτοὺς παρὰ μὲν ἡμῖν, μέχρις ἡλίου δύσεως, ἀτάφους κρύπτειν ἔκριναν, καίτοι καὶ πολεμίοις θάπτειν θεμιτὸν ἡγούμενοι, h. est: *Deniqve si qvi se occiderint, apud nos qvidem usqve ad solis occasum insepultos abjici decretum est, cum etiam hostes sepeliri fas esse ducamus*; παρὰ μὲν ἡμῖν, inqvit, seu *apud nos qvidem*, non ignorans qvippe, penes alias extra terram sanctam gentes tam hostes trucidatos, qvam αὐτόχειρας sepultura non affici. Josepho accedat Philo, Judæus & ipse doctissimus, imo, ut Josepho ipsi laudatur ἀνὴρ τὰ πάντα ἔνδοξος, & secundum Eusebii encomium, ὑψηλός τε καὶ μετέωρος ἐν ταῖς εἰς τὰς θείας γραφὰς θεωρείαις γεγενημένος; qvi & Judæorum disertissimus legatus erat ad Cajum Caligulam. Hic in libro de specialibus legibus pœnam homicidii inter alia attingens, Legislatorem suspendi

qvidem in ligno homicidas jussisse dicit, sed humanitatis erga inhumanos non oblitum hoc addidisse: *μὴ ἐπιδυέτω ὁ ἥλιος ἀνεσκολοπισμένοις, ἀλλ᾽ ἐπικρυπτέσθωσαν*; ubi & ratio subjicitur, cur in ligno suspensos necesse sit *εἰς τὴν νεκρῶν χόρον ὑποσῦραί τε, καὶ καταχῶσαι*, nempe *ὅπως μὴ τὰ ὑπὲρ γῆς μαίνωσι*, vel, ne qvid super terram, homines videlicet & aer, contaminaretur. Nec aliam sepultorum apud Judæos suspensorum dant rationem Rabbinorum doctissimi, qvi ad locum illum Deut. 21. 23. קִלְלַת אֱלֹהִים תָּלוּי sunt commentati. Ita enim Aben-melech ad h. l. Rabbinicis verbis latine redditis: *Verba* קִלְלַת אֱלֹהִים h. e. *maledictio Dei, aut proprie possunt explicari, nempe qvia Deo maledixit, suspensus est, aut etiam sic possunt declarari: Maledictio seu probrum Dei. Nam si qvis suspensum videt, dicit: Hic est suspensus, qvia* (Deo) *maledixit, id qvod Deo veluti probrum qvoddam est* (ob qvam causam & mox de ligno fuit sublatus) *& hoc jus NB. suspensis omnibus in terra Israel obtigit.* His Aben-melechi verbis id addit R. David Kimchi in ספר שרשים in Rad. קלל: *Nam duæ hic sunt rationes* (cur nempe suspensi tam cito deponantur de ligno) *una est, qvia probrum Dei pendet, id qvod de iis intelligendum, qvi Deo maledixêre, ac eum blasphemarunt, aut idola coluere; altera vero est: ut terram tuam haud polluas, qvæ ad NB. omnes suspensos in terra Israel pertinet. Nam mortuus, qvamdiu haud sepultus est, contaminatio est terræ; qvapropter & ibi Propheta Josua cum Rege de Ai, & qvinqve Regibus* (Jos. 8. 29. it. 10. 26.) *ita procedebat, ut mandaret eos vesperi deponi de cruce, congestoqve super eos magno acervo lapidum projici.* Ubi & hoc adjicit idem Rabbi: *Ita etiam Israel aliqvando* (temporibus Messiæ) *cum occisis à Gog & Magog aget, sicut scriptum est:* (Ezech. 39. 12.) *Sepeliet eos domus Israel. Sic ergo vides, mortuum, qvamdiu non sepultus est, contaminationem terræ causari.* His tertio loco accedat Aben Esra ad eundem Deuteron. locum: *Literaliter,* inqvit, *hoc ita intelligendum est, qvod Deus causa efficiens* (maledictionis) *sit, & maledictio eo perveniat, ubi est suspensus; qvanqvam mystice hæc maledictio etiam in animabus hæret; ideo seqvitur: ut ne contamines terram tuam &c. & processus ille* (Josuæ cum Regibus Canaiticis) *penes Gibeon demonstrat, qvod hoc jus non in occisi honorem dictum sit, sed potius in terræ honorem. Nam jus NB. incircumcisorum & Israelitarum alias non est idem.* Duo eqvidem objici posse video; ac primum qvidem, qvod, licet sublati de cruce con-

contumulatiqve ſuſpenſi ſint, hoc ipſo tamen ſepulcra patria pollutionis expertia eſſe haud potuerint; deinde qvod Gibeonitæ filios Saulis in patibulo ſuſpenſos per multos dies, & qvidem ad putrefactionem uſqve, reliqverint. Sed ad primum reſpondet Voſſius in Harmonia: *Tales*, inqviens, *non inferebantur communibus ſepulcris, ſed ſeorſim à cæteris. Qvod legas in compendio Thalmudico dicto Alpheſi, & apud Rabbinos Jacob Jurim, ac Moſen Maimonidem.* Ubi qvidem pro *Jacob Jurim* ponendum erat *R. Jacob Baal Hatturim*; nam is ad locum illum Deuteron. expreſſe dicit, *qvod ſuſpenſus una cum ligno ipſo in ſarcophago ſeorſim ſepultus fuerit.* Legitur etiam in Miſchna Sanhedrin cap. IV. §. V. *Duo ſepulcra à Senatu conſtituta fuerunt, unum lapidatis & uſtis, alterum gladio & laqveo interemtis*; qvod & Cl. Sagittarius, amicus noſter communis parte II. Harmoniæ ſuæ p. 737. & ante eum Geierus, ſanctiſſimæ memoriæ Theologus, in de luctu Hebræorum cap. VI. §. 15. ex Maimonide, annotavit. Qvod ad Gibeonitas attinet, varie ab interpretibus de facto illorum reſpondetur; è qvibus Gerhardus noſter cenſet, Gibeonitas, cum ex gentibus fuerint, minimè ex Judæis, utut Judaicam religionem amplexis, legibus forenſibus populo Iſraelitico ſolum latis, adeoqve nec illi, de tollendis è patibulo ſuſpenſorum corporibus, fuiſſe obligatos. Malim autem hic plane ſingulare qvippiam atqve extraordinarium agnoſcere, qvod legi illi ordinariæ Deut. 21. præjudicii nil faciat. Nam ibi (verba ſunt Cornelii à Lapide, cui & Abulenſis aliiqve è Pontificiis, è noſtratibus Friedlibius & Prucknerus concinunt) agitur de eo, qvi ob proprium ſcelus crucifigitur in pœ- „ nam; hîc vero de iis, qvi ob alienam & publicam culpam, ideoq; to- „ tius populi fuere NB. piaculum ad reducendam pluviam & fertilita- „ tem. Et vero piaculare id factum erat, ideoqve plane ἐξαίρετον. Petierat enim à Deo David, ut populi miſereretur, & τὴν ἴασιν τῆς νόσου (nempe λιμοῦ τῆς χώρας φθειρομένης) oſtenderet, reſponſumqve ipſi per Prophetas fuerat, poſtulare Deum, ut Gabaonitæ vindicarentur, qvos Saulus præter jus & fas interfecerat. Ceſſavit etiam mox fames, cum Gabaonitæ ſupplicium de ſeptem Sauli filiis, qvos popoſcerant, ſumpſiſſent; qvin ἤρξατο δ' ὕειν παραχρῆμα ὁ θεός, καὶ τὴν γῆν πρὸς γονὴν καρπῶν ἀνακαλεῖν ἀπολύσας τοῦ πρότερον αὐχμοῦ, καὶ πάλιν εὐθήνησεν ἡ τῶν Ἑβραίων χώρα, ut loqvitur Joſephus antiqvitat. Judaic. l. VII, c. XII. Sed qvid de facto illo David Kimchi jam allega-

tus ad eundem Deuter. locum: *Causam autem*, inqvit, *qvod suspensos Saulis filios non sepeliverint à Martio usqve ad Septembrem, donec stillaret aqva super eos de cœlo, sicut scriptum est* (2. Sam. 21. 10.) *ab initio messis, donec &c. exponunt Rabbini* (in Thalmudico tractatu Jebhamoth) *ideo id factum esse, ut nomen Dei publice sanctificaretur, licet id cum intermissione præcepti alicujus in lege fieret; Nam prætereuntes (gentes) interrogarunt: Qvinam sunt hi suspensi? ubi responsum illis est: sunt filii regii. Qvid illi fecerunt? Violentas illi manus susceptis peregrinis intulerunt. Tunc dicebant: Tam honestus vel justus populus non amplius reperitur; & per hoc centum & octoginta millia gentilium sunt conversa.* Sed nolo Talmudica hæc mea facere. Patet interim vel ex allatis Judæorum scriptorum locis, cadavera suspensorum in terra Israel non relicta fuisse insepulta, perperamqve adeo Gronovium contendere, qvod Judas proditor in voraginem qvandam abjectus fuerit, ut rupibus ruptus collisusqve in imo ejus exiccaretur ac putresceret. Sed en audaciam hominis! *Videtis*, inqvit, *qvam nulla vi id extorqveatur ex verbis, qvibus illam historiam nobis prodidit Spiritus S. sed res ipsa ultro seqvatur, qvasi verba & sententiam hanc, qvam unice judicamus esse veram.* Ego vero nihil tale qvid video seqvi, præsertim cum alia omnia leges & consvetudines Judaicæ gentis non abolitæ tum, ut ostensum, sed sancte adhuc observatæ, mihi persuadeant. Sed fortasse non deerunt ipsi Gigantéa argumenta pro asserenda hoc suo oraculo, postqvam Casauboni, Heinsii, Grotii, Salmasii, Pricæi, Lightfooti, aliorumqve de eruditissima orchestra virorum sententias falsissime perfricuit, dicereqve (ut flosculos tantum aliqvot intolerabilis fastus afferam) non erubuit, p. 7. *nihil eorum, qvæcunqve huc in eo* (Judæ casu) *commentata sunt, stare suis pedibus ac librare posse -- Areopagitas vere hic in tenebris ac noctu judicasse, & restare post tot doctos viros residuam satis copiosam & opportunam materiam exercendi in illo sui*, & p. 36. *agnoscere se somnia suspicionum, ne tenuissimo qvidem colligata filo, & tantum dissolutissimas ineptiarum scopas*; item p. 142. *universas has scriptiunculas esse parvi momenti, suppuratas tantum illecebras, ut scire possemus aliqvid esse, qvod adhuc ignoraremus.* Briareus certe aliqvis centimanus ex tot aliisqve pluribus verbis longe fastuosissimis expectari poterat; sed nanus pro Gigante prodit ex tot montibus parturientibus, imo mus ridiculus; ut commodissime huc qvadret, qvod Tachas Rex Ægyptiorum in Agesilaum, Lacedæmonio-

rum

rum Regem, qvi pusillo erat corpore, non sine scommate jecerat: ὤδινεν ὄρος, Ζεὺς δ᾽ ἐφοβεῖτο, τὸ δ᾽ ἔτεκεν μῦν. Ostensurus enim *culmen, & intimum meri veri adytum*, ut p. 181. 182. sententiam suam non obscure vocat, *Id*, inqvit, *ut evincam, primo probandum est ab Judæis aliqvos illo tempore non fuisse sepultos, & variatam fuisse interpretationem præcepti divini, qvo jubebantur omnia qvaliacunqve cadavera sepelire*. Putes argumenta & testimonia ipsi pro Helena sua non defore, qvia supra pro significatu verbi ἀπάγχεσθαι Iliada qvandam autorum Græcorum præter necessitatem (qvia proprium & usitatiorem verbi illius sensum nemo negat) adduxerat. Aderat etiam jam tempus, ut non manu sereret, sed totum eruditionis suæ Græcanicæ, qvam ubiqve jactitat, saccum expleret. Sed ecce! cum Achillem vel maxime repræsentare se deberet, vanissimum & explosione doctorum omnium dignissimum jactatorem se prostituit: Dicit eqvidem: *Id posset facile pluribus fieri; sed veritus, ne actum agam, cum à multis id probatum sit, & publice constet, penitus hoc relinqvam.* Egregium vero evictorem ac probatorem! Non possum hic loci, qvin Gronovium ipsum alloqvar: Si facile pluribus fieri id pote, Thraso μεγαλοφωνότατε, cur non facis id, qvod faciundum Tibi vel maxime erat, præsertim cum magno conatu tot aliorum conculcaris sententias, totqve capita ac paginas nugis ampullisqve inutilibus oppleveris. Sed esto, id facile Tibi esse, qvis qvæso ante te egit, qvod tibi agendum jam erat? (nam affirmanti Tibi incumbebat probatio); & qvinam *multi* illi sunt, à qvibus, qvod probandum Tibi, probatum jam est? Profer ex illis vel unicum fide dignum scriptorem, si potes. *Publice* id *constare*, qvod & ipsum audacter affirmas, falsissimum est, cum contrarium ex Philone & Josepho, pari Judæorum incomparabili, jam demonstrarim. Provide autem vel callide potius addidisti: *penitus hoc relinqvam*, vulpi illi oppido qvam similis, qvæ, ut uvam de vite dependentem captare posset, πρὸς ὕψος ἧλτο, ut Gabrias loqvitur in fabulis, sed cum attingere eas non posset, defatigata tandem dicebat, μὴ κάμνε, ῥᾶγες ὀμφακίζουσιν μάλα. Sed injurius forte videbor in Gronovium, qvia exemplum unum instar omnium ab eo adducitur. *Nam tantummodo*, inqvit, *unum exemplum hæc tempora, de qvibus sermo nobis est, proximum considerantes, ex eo id plane concludamus, nempe ex ipsa sermocinatione Judæorum de ipso Salvatoris mortalium cadavere, apud Johannem 19. 31.* οἱ οὖν Ἰουδαῖοι,

ἵνα μὴ μείνῃ ἐπὶ τοῦ σταυροῦ τὰ σώματα ἐν τῷ σαββάτῳ, ἐπεὶ παρασκευὴ ἦν &c. Cur Judæi ad Pilatum tum accesserint, neminem legum ac consvetudinum Judaicarum gnarurem potest fugere. Et recte Drusius in Hebraicis versatissimus ad h. l. *Et propter Sabbatum hoc faciebant* (Judæi) *& propter legem, qvæ jubet corpora suspensorum statim tolli ac sepeliri*; qvi & hoc addit ex libro præceptorum 188. 4. *Suspendunt eum sub occasum solis & statim solvunt eum. Qvodsi non faciunt, violant præceptum, qvod ea de re, prout declaratum est in libro præceptorum* לא תעשה i. e. *negantium sive vetantium.* Cur autem Sabbati tantum, non etiam legis illius mentionem tum facerent Judæi, causa non alia erat, qvam qvia propius instabat Sabbatum, qvam diei ejusdem vespera. Erat enim hæc illorum à Gronoviana δὶς διὰ πασῶν distans ratiocinatio: Si corpora suspensorum in patibulo non sunt relinqvenda usqve in diem proximum, qvicunqve is foret, multo minus in Sabbatum usqve, tanqvam in diem omnium sanctissimum, & adhuc longe minus, si (qvod & tum contingebat) solennis qvædam πανήγυρις in Sabbatum incidat (ἦν γὰρ μεγάλη ἡ ἡμέρα ἐκείνου τοῦ σαββάτου). Nec aliter locum illum Johannéum intelligunt saniores qviqve Interpretes. Sed aliud qvid δοκεῖ τῷ δοκησισόφῳ, & qvi Interpretibus novi Testamenti omnibus oculatior sibi videtur, Gronovio. Ejus enim isthæc, si rem pensi habeas, est ratiocinatio: Judæi in sermocinatione illa meminerunt Sabbati, non legis illius Devt. 21. ergo lex illa tum temporis à Judæis fuit abolita, qvasi ita colligere Leidæ qvis velit: Rector & Senatus Academiæ Leidensis Studiosos Festo Paschatos speciatim abstinere jussit à duellis, comessationibus, & nocturnis clamoribus, E. legem illam generalem de duellis, comessationibus, & nocturnis clamoribus qvocunqve die intermittendis abrogavit. En *scopas* (ut Gronovianis verbis de Gronovio utar) *dissolutissimas, & somnia ne tenuissimo qvidem filo colligata!* Judæi à potiori concludere tum voluerunt, siqvidem Sabbatum potius qvid est ac sanctius, qvam cujusqve diei vespera; nec à potiori tantum, sed etiam à priori, qvia initium Sabbati prius erat illius diei vespera, qva crucifixi secundum legem tollendi fuerant & sepeliendi. Sabbatum itaqve qvia propius instabat, qvam vespera, non abs re Sabbatum pro lege illa allegabant, legis interim & illius observantissimi, qvippe qvi eopse die latronem utrumqve post crurifragium deposuerunt de ligno, & seorsim ab alio-

aliorum ſepulcretis contumularunt; qvorſum & corpus Chriſti fuiſſet deportatum, niſi de honoratiore illi ſepultura à Joſepho Arimathæo, ſic adgubernante divina providentia, fuiſſet proſpectum. Qvæ omnia qvamvis extra omne plane dubium, ob teſtes ſatis locupletes, qvos ſupra adduxi, poſita videri debeant, Gronovius tamen ex verbis Johannis longe aliud qvid ſtrangulatione qvaſi qvadam adhibita extorqvet; *Nullo modo*, inqvit, *hæc ratiocinatio à veris Judæis expectari poterat; qvippe ſi eſſent veri Judæi, ſi in lege Moſaica religioſe ac caſte permanerent, non debuerunt ratiocinari ex cauſa Sabbati. - - ſed ex cauſa veſperæ, noctis & diei inſeqventis.* Qvaſi non à potiori, à Sabbato videlicet, die præ cæteris ſancto, ratiocinari voluerint Judæi; & qvaſi non veſpera illa initio Sabbati fuerit aliqvid poſterius. Sed pergit παρατραγῳδεῖν Gronovius: *Qvare qvod Spiritus S. per calamum Johannis eam qvoqve partem annotari & æternitati prodere voluerit, id unice videtur feciſſe in exprobrationem Judæorum* (an hoc *plus* illud eſt, Gronovi, qvod *indulgentia Spiritus S. Tibi reliqvit, & ſcire conceſſit, præ doctiſſimis Viris aliis*, ut gloriaris p. 171?) *qvi ut in pluribus degeneres ab hoc qvoqve Moſaicæ legis capite defecerant* (ſed qvænam illa, qvæſo, ſunt *plura*, à qvibus degeneres ſunt facti; & peto vel unicum mihi caput id genus ab Te nominari? dein qvando ab hoc qvoqve Moſaicæ legis capite Judæi defecerunt?) *adeo, ut niſi inſeqvens dies fuiſſet Sabbatum, cujus adhuc aliqva vel potius nimia ſuperſtitio eos tenebat, profecto* (o aſſeverationem temerariam, & Chriſtiano homine plane indignam!) *relicturi fuerint cadaver ejus, qvi legem impleturus erat, cum reliqvis duobus in cruce ſine ſcrupulo, ſine læſione pietatis ac legis &c.* Et poſt pauca: *Ergo cum conſtet Judæos hoc tempore nullum poſuiſſe ſcrupulum in cadavere abjiciendo vel inſepulto relinqvendo &c.* Sed unde hoc Tibi conſtat, impudentiſſime, addo, & ineptiſſime novi Teſtamenti gloſſator? Longe aliud qvid conſtat ex antiqviſſimis & fide digniſſimis, qvos ſupra adduxi, Judæis; longe aliud qvoqve aliqvid ex verbis Johannéis, qvæ tanqvam fundamentum unicum ſententiæ tuæ ſubſtruxiſti, conſeqvitur, qvippe qvæ argumentum contra Te ipſum facile ſuppeditant. Nam ſi Judæi traditionem ſuam de Paſchatos feſto in diem illum incidente NB. *ſine ſcrupulo & ſine læſione pietatis* violare haud ſuſtinuerunt, qvanto magis probabile eſt, eos legis illius adhuc dum fuiſſe qvam tenaciſſimos? Et vero fuerunt qvam tenaciſſimi, tam anteriori, qvam eo ipſo, qvo Judas

das suspendio se enecarat, imo posterioribus etiam temporibus.
Patet id, puto, sat abunde, vel ex verbis illis, qvæ supra de irrupta legis
illius Deut. 21. observatione attuli, nec dubito Te, *Rechenbergi candi-*
dissime, meridianam hîc veritatis lucem mecum agnoscere. Qvando
autem fronte & mente omni caret Gronovius, & Judæos id temporis
tum a pluribus aliis, tum a lege qvoqve illa Devt. 21. defecisse deblate-
rat, apertissimi mendacii & impudentiæ plusqvam caninæ coram uni-
versi literarii orbis tribunali est convincendus. Qvod ut tanto faci-
lius confiat, respicio primum ad ea tempora, qvæ nativitatem Salvato-
ris sunt antegressa, ad qvæ expugnatio templi Hierosolymitani per
Pompejum facta pertinet. Videbant tum Judæi, aggerem à Romanis
militibus magno labore erigi ad Templum saxis missilibus qvatien-
dum; qvod qvamvis impedire potuissent Judæi, minime tamen id fa-
ciebant ob Sabbatum septimo qvoqve die secundum legem celebran-
dum; qvod animadvertentes Romani & ipsi Sabbatis neqve eminus
telis incessebant Judæos, neqve manus cum eis conserebant. Hæc re-
ferens Josephus, scriptor rerum Judaicarum ἀξιοπιστότατος, antiqvi-
tat. Judaicar. l. XIV. cap. IIX. μάθοι δ' ἄν τις, inqvit, ἐντεῦθεν τὴν
ὑπερβολὴν ἧς ἔχομεν περὶ τὸν θεὸν εὐσεβείας, καὶ τὴν φυλακὴν NB.
τῶν νόμων, μηδὲν ὑπὸ τῆς πολιορκίας διὰ φόβον ἐμποδιζομένων πρὸς τὰς
ἱερουργίας, ἀλλὰ δὶς τῆς ἡμέρας πρωΐ τε καὶ περὶ ἐνάτην ὥραν, ἱερουργούν-
των ἐπὶ τοῦ βωμοῦ, καὶ μηδ' εἴ τι περὶ τὰς προσβολὰς NB. δύσκολον εἴη,
τὰς θυσίας παριέντων; qvin &, cum templum jam captum esset, (C.
Antonio, & M. Tullio Cicerone Coss.) obviiqve in templo Judæi ab ir-
rumpente hoste jugularentur, οἱ δὲ πρὸς ταῖς θυσίαις οὐδὲν ἧττον ἱερουρ-
γοῦντες διετέλουν, οὔτε ὑπὸ τοῦ φόβου τοῦ περὶ τῆς ψυχῆς, οὔτε ὑπὸ τοῦ πλεί-
θους τῶν ἤδη φονευομένων, ἀναγκασθέντες ἀποδρᾶναι. Πᾶν δ' ὅτι δέοι
παθεῖν τοῦτο παρ' αὐτοῖς ὑπομεῖναι τοῖς βωμοῖς, κρεῖττον εἶναι νομίζον-
τες ἢ παρελθεῖν NB. τί τῶν νομίμων. Qvod Judæorum factum ne à Jose-
pho in laudem pietatis Judaicæ confictum videretur, addit esse ἀλήθει-
αν, testariqve idem omnes, qvi res à Pompejo gestas scripserint, atqve
in his Strabonem, Nicolaum, & Romanæ historiæ conditorem Livium.
Nec remissiores Judæi facti in religiosissima illa legum suarum obser-
vantia ipsius CHRISTI & Pilati tempore; qvod vel ex eo tantum sat
patet, qvod nollent prætorium ingredi, veriti qvippe, ne ante agni pa-
schalis comestionem contaminaretur; qvodqve ob instans Sabbatum
à Pi-

à Pilato peterent, ut cadavera crucifixorum tollerentur; ſed non deeſt luculentiſſimum aliud hujus rei in eodem Joſepho Lib. XIIX. antiqv. Jud. c. IV, in qvo & inſigne illud Joſephi de Chriſto teſtimonium velut gemmula emicat. Intulerat Pilatus Judææ tum præſes in urbem Hieroſolymam & ſigna & effigiem Cæſaris, & qvidem in legis Judaicæ contumeliam, vetantis qvippe, ne haberent effigies. Sed Judæi precari primum Pilatum qvam inſtantiſſime, ut imagines illas alio transferret, dein cum fruſtra eſſent, ſeqve vi militari circumdatos viderent, in humum prolapſi exertos ei jugulos offerre, manifeſte præ ſe ferentes, ἡδονῇ δέξεσθαι τὸν θάνατον, ἢ τολμήσειν τὴν σοφίαν παραβήσεσθαι NB. τῶν νόμων. Neqve id incaſſum. Pilatus enim, ut Joſephus mox addit, θαυμάσας NB. τὸ ὀχυρὸν αὐτῶν ἐπὶ φυλακῇ τῶν νόμων, continuo imagines iſtas Cæſaream ex Hieroſolymis reportari juſſit. Gemellum Judaicæ φυλακῆς τῶν νόμων exemplum in eodem Joſephi libro c. XI. legitur. Nam cum Cajus Caligula Petronium in Syriam ablegasſet, juſſiſſetqve eum, ut Judæos, ſi ſtatuam ſuam collocare in templo detrectarent, bello devictos eo adigeret, Judæorum multa millia veniebant Ptolemaidem ad Petronium, cur? κατὰ δεήσεις καὶ μηδὲν ἐπὶ παρανομίᾳ σφᾶς ἐπαναγκάζειν παραβάσει τοῦ πατρίου; addebant etiam: οὐ γὰρ ἂν δυναίμεθα περιιόντες συγχωρεῖν πράγματα ἡμῖν ἀπηγορευμένα ἀξιώματί τε τοῦ νομοθέτου καὶ προπατόρων τῶν ἡμετέρων; cumqve pugnandum cum Cæſare ſibi eſſe intelligerent, ὁμοθυμαδὸν dicebant: τεθνηξόμεθα δὲ πρότερον, ἢ παραβῆναι τοὺς νόμους; procumbentes etiam paratos ſe offerebant ad excipiendos gladios, idqve per XL. dies continuabant, neglectis agriculturæ, utut ſementis tempore, operibus, certi mortem ſubire prius, qvam ſtatuam illam admittere. Qvæ & ipſa invincibilis Judæorum conſtantia Petronium eo permovebat, ut non laudaret tantum Judæos, qvod pro patriis legibus in tantum contenderent, ſed & pro ipſis penes indignabundum Imperatorem ſe interceſſurum promitteret. Erat enim Petronius τὴν φύσιν εὐμενὴς καὶ ἥμερος ὑπὸ τῶν λεχθέντων καὶ ὁρωμένων συνηρπᾶσθαι, teſte Philone in libro de legatione ad Cajum, in qvo idem Judæorum factum recenſetur, & inter alia id verborum qvoqve legitur: ἅπαντες ἄνθρωποι φυλακτικοὶ τῶν ἰδίων ἐθῶν εἰσίν, διαφερόντως δὲ NB. τὸ ἰουδαῖον ἔθνος; θεόχρηστα γὰρ λόγια τοὺς νόμους εἶναι ὑπολαμβάνοντες καὶ τοῦτο ἐκ πρώτης ἡλικίας τὸ μάθημα παιδευθέντες ἐν ταῖς ψυχαῖς ἀγαλ-

μαλοφοροῦσι τὰς τῶν διαπεπλαγμένων εἰκόνας &c. Qvibus omnibus corollarii velut loco ſubnecto verba Joſephi ex libro II. contra Apionem, qvi & ipſe Judæos deſciviſſe à legibus qvibusdam, & Aſini caput collocaſſe in templo, idqve coluiſſe, mendaciſſime dixerat: *Legibus ſemper utimur iisdem, in qvibus ſine fine conſiſtimus*, ubi hæc addit poſt paulo: *Hæc igitur Apion debuit reſpicere, niſi cor Aſini ipſe potius habuiſſet &c.* Eat nunc Gronovius, & Judæos eo tempore, qvo Judas ἀπήγξατο, à legibus qvibusdam deſciviſſe ulterius contendat. Parum profecto aberit, qvin cor idem cum Apione in rebus Judaicis habens ab omnibus agnoſcatur. Et vero uti Judæi ſemper iisdem uſi ſunt legibus, & ſine fine in illis adhuc conſiſtunt, teſte Joſepho, ita qvamdiu in terra Iſrael degere ipſis licuit, etiam legem illam de ſuſpenſis ſub veſperam tollendis ſepeliendisqve ob metum contaminationis qvam religioſiſſime obſervarunt. Tametſi enim legi πατροπαραδότῳ tanqvam ſacræ purpuræ multas traditionum lacinias aſſuerant Phariſæi, plane ut penes Chriſtianos hodie Pontificii ſacræ Scripturæ (qvi & ſcite cum Phariſæis ac Thalmudiſtis ab Cl. Hottingero in Theſauro Philol. pag. 553. & ſeqq. conferuntur) à purpura tamen id propter nihil qvicqvam reſciderunt. Nec reſcindunt etiam Judæi hodierni, qvippe qvi licet expulſi ex terra Canaan, & qvaqvavorſum per orbem ſint diſperſi, legem integram tamen (ſi ſacrificia excipias, qvæ templo Hieroſolymitano erant alligata, qvanqvam nec vicariis non utuntur victimis) adhuc obſervant, indeqve & neminem qvenqvam ſuorum interdiu extinctum, inſepultum per noctem proximam relinqvunt, verentes qvippe ob legem illam, ne homines circumſtantes una cum aere inficiantur; qvod diſcere vel ex verpis illis Gronovius poterat, qvi numero non exiguo tum in aliis Hollandiæ locis, tum Amſtelodami maxime, commercia exercent. Sed nondum ampullari deſinit Gronovius. Cum enim Judæ tempore cadavera penes Judæos non præcipitata tantum in Geennam, ſed relicta qvoqve ſine tumulo fuiſſe, ſemel ſibi perſvaſerit, qvod tamen falſiſſimum eſſe vel cœcus jam videt, à theſi, ut Rhetores loqvuntur, ad hypotheſin progrediens idem probare de Judæ cadavere jam ſatagit. Sed uti perſuaſio illa de cadaveribus tum inſepultis relictis ſtramineo, imo nullo plane fundamento nititur, ita hæc qvoqve de Juda inſepulto ſuapte ſponte corruit. Nam vara, ſecundum proverbium, trahit vibiam. Is tamen provocanti cuidam

Pyrgo-

Pyrgopolinicæ non absimilis. *Age*, inqvit p. 183. *qvicunqve es, cui placet disceptare hanc sententiam. Qvid si id probem, & convincam ex ipsis verbis Petri, qvæ in manibus habemus? Si fateri cogeris verba hæc Petri agere de casu & eventu, qvi accidit cadaveri demum Judæ, non adhuc viventi, sed jam penitus strangulato, nunc tu age & proba per voces* πρηνὴς γενόμενος *aliqvid aliud intelligi qvam præcipitium, & præcipitium non fuisse rude, sed à qvo dejectus non debuerit* λακεῖν μέσος, καὶ ἐκχυθῆναι *&c. Qvod sane ego ita fuisse censeo, qvia Evangelista dicit, eum jam* πρηνῆ γενόμενον *effudisse viscera.* At enim vero non est, cur convictum se iri qvis metuat ex verbis Petri, qvicunqve disceptare cum Gronovio hac de re præsumpserit. Ego certe non metuo, (præsertim cum præcipitium illud Judæ ab alio factum non nisi cerebrinum Gronovii sit somnium) tantum abest, induci me posse, ut credam, præcipitium Judæ ex verbis Petri solide & ἀποδεικτικῶς probari posse; Dein nec cogi me posse video, ut fatear, verba Petri de Juda nonnisi penitus jam strangulato agere; probare potius sustineo contra Gronovium, per voces πρηνὴς γενόμενος longe aliud qvid intelligi posse, imo etiam debere, qvam præcipitium cum viscerum ruptura conjunctum. Nam ut ὑστερόπρωτον committam, vox Græca πρηνὴς proprie significat, id qvod latina *pronus* h. e. *cernuus, obliqvus, incurvatus, in caput propendens, declivis*, imo *& vultum in terram demittens.* Nam non alio, qvam posteriore hoc significatu vox πρηνὴς intelligenda venit in libro Sapient. IV, v. 19. (qvem qvidem locum multis interpretibus crucem fixisse & à Gronovio p. 77. ad præcipitationem coactissime, ut sic dicam, contortam video) Ibi namqve dicitur de impiis: ῥήξει αὐτοὺς (ὁ κύριος) ἀφώνους πρηνεῖς h. e. *franget* vel *confundet* (nam & vox ῥήσσω & ῥήγνυμι metaphorice interdum sumitur, & qvæ non vox?) vel *conturbabit vultu dejectos & mutos qvasi redditos.* Stabunt nempe tum impii πρηνεῖς vel ἐπὶ πρόσωπον πεσόντες, imo δειλοὶ, ut habet versus subseqvens 20. h. e. *timidi* & *trepidi*, præ confusione scilicet & conscientia scelerum; sed pii, secundum initium V. capitis, τότε στήσεται ἐν παῤῥησίᾳ πολλῇ κατὰ πρόσωπον τῶν θλιψάντων αὐτὸν &c. πρηνὴς autem pronitatem seu prorsam corporis inclinationem significat proprie, certe utplurimum. Et hinc verba illa Suidæ: πρηνὲς, ἐπὶ πρόσωπον, καὶ πρηνής, Æmil. Probus sic reddit: *In faciem, pronum, & pronus*; τὰ πρηνῆ τοῦ σώματος Aristot. lib. 4. de part. animal. sunt *prona corpo-*

ris partes, & in Etymol. Magno (qvod tribus Cretensibus, Nicolao Blasto, Zachariæ Calliergo, & Marco Musuro debemus) vox πρηνὴς declaratur per εἰς τοὔμπροσθεν, item παρὰ τὸ πρόσω νενευκέναι; apud alios idem est, qvod νενευκὸς πρὸς τὴν γῆν, item νεύων ἀπὸ τοῦ κάτω. Nec alio sensu usurpari videas composita: ἐπιπρηνὴς, καταπρηνὴς, & προπρηνής. Jam *pronus* apud Latinos qvoqve proprie nihil aliud qvam propendentiam, ut sic dicam, capitis, & inclinationem corporis antevorsam significat. Sic apud principem poetarum Æn. X:

Lucagus ut pronus pendens in verbera telo
Admonuit bijugos, projecto dum pede lævo
Aptat se pugnæ &c.

Et Naso sub init. Metamorph.

Pronaqve cum spectent animalia cætera terras,
Os homini sublime dedit, cœlumqve tueri
Jussit, & erectos ad sidera tollere vultus;

A qvo adjectivo & verbum *pronare*, pro, *se terram versus flectere*, qvo Sidonius utitur in epist. XVII. lib. IV, ubi de Fratre Domnicio scribit, qvod in pilæ lusu *per catastropham sæpe pronatus fuerit, ut ægre de ruinoso flexu se recolligeret*; & *appronare* apud Apulejum lib. I. Metam. pro *ingeniculare*, vel *in genua pronum se demittere*: *Adsurgit & opertus palliolo in planiorem ripæ marginem, complicitus in genua appronat se, avidus affectans poculum.* Est autem πρηνὴς non idem tantum qvod *pronus* (antiqve *proinus*, ut *supinus*, qvod *prono* opponitur; qvod qvidem alii ἀπὸ τοῦ προνεύειν dictum volunt) sed etiam *in faciem prolapsus*. Unde Etymol. M. πρηνὴς explicat non tantum per εἰς τοὔμπροσθεν, sed etiam per ἐπὶ στόματος, ἐπὶ προσώπου: & Hesychius: πρηνὴς ἐπὶ πρόσωπον πεπτωκός. Cum itaqve πρηνὴς aut νενευκότα παρὰ τὴν γῆν, aut ἐπὶ πρόσωπον πεπτωκότα proprie denotet (proprie inqvam, nam improprie etiam urbes Græcis dicuntur πρηνεῖς, ut & εἰς γόνυ πεσοῦσαι) vel tacente me nemo non videt arenam sine calce in hac Gronovii illatione: Judas dictus est à Luca vel Petro πρηνὴς γενόμενος, E. præcipitatus vel dejectus fuit ab alio, & qvidem ita, ut medius crepuerit. A voce πρηνὴς alias est verbum πρηνίζειν, h. e. *pronum facere*, vel à tergo aliqvem impellere, ut cadere necesse habeat, & πρηνίζεσθαι, qvod, svadente Græcæ lingvæ ratione, & absqve omni *malignitate* (qvam tamen hîc p. 80. agnoscit Gronovius,) nihil aliud significare

pot-

potest, qvam *pronum* fieri, vel, ut ita dicam, *pronificari*, seu *in faciem prolabi*. Et hinc recte Hesychius: πρήνιζε, κατέβαλεν, h. e. in terram prostravit, qvi etiam πρηνιχθέντα exponit per ἐπὶ πρόσωπον καὶ ἐπὶ στόμα πεσόντα. Neqve enim hîc admittenda Stephani κρίσις. Sed aliis πρηνιχθεὶς est *præcipitatus*, sicuti & πρηνὴς non per *pronus* tantum, sed etiam per *præceps* exponitur. Qvanqvam autem pronitatem seu propendentiam capitis casus vel præcipitium subinde solet excipere, πρηνὴς tamen & πρηνιχθεὶς h. e. *pronus* seu *prolapsus* & *præceps* inter se differunt; (neqve enim omnis πρηνὴς πρηνίζεται.) Nimirum pronitas præcedit, casus vel præcipitium seqvitur. Sic penes Homerum Iliad. π: πρηνὴς ἐπὶ νεκρῷ κάππεσε, & Odyss. ε. πρηνὴς ἁλὶ κάππεσε, plane ut apud Maronem Æn. lib. I. de Palinuro dicitur: *pronusqve magister volvitur in caput*, & de Niso lib. V.

- - - Sed pronus in ipso
Concidit immundoqve fimo, sacroqve cruore.

Rectissime igitur diligentissimus concinnator Synopsis Criticæ (qvam Ocnis dignam maligne censet Gronovius p. 80.) ex Heinsio & Haimundo: *πρηνὴς porro non est, qvi præcipitatur, sed qvi pronus, & in terram cadit, ut cum bos cæditur, atqve impos sui pronus cadit.* Et qvî eo, qvo Gronovius vult, modo præcipitari atqve abjici Judas salva lege & consuetudine Judæorum potuit? At si non πρηνὴς (sic inqviat qvis) idem est qvod πρηνιχθεὶς seu præcipitatus, erit tamen idem πρηνὴς γενόμενος. Atqvi hoc ipsum est, qvod vel maxime urget Gronovius. Sic enim p. 183. *Annon*, inqvit, πρηνὴς γενόμενος, *si constructionem adspicias rite & simplicissime sumas, ut simplicissime scripsit autor, notant præcipitatum, & non qvidem à se, sed prorsus ab alio, ut evicimus p. 102. & 103. annon etiam cap. 8. vidimus simplicem vocem* πρηνὴς *id secum ferre.* Produxit autem p. 103. loca septem ex Actis Apostolorum, in qvibus qvia vocem eandem γενόμενος non nisi passive accipi existimat, eam hic qvoqve loci non aliter accipiendam contendit. Sed loca illa si excutias, possunt pleraqve & active & passive intelligi? & annon vox γενόμενος est participium vocis mediæ? Meæ sententiæ mox exponendæ nil officit, sive γενόμενος per *fiens*, sive per *factus* exponatur. Frustra itaqve ad caput illud X. provocat; frustra etiam ad caput IIX. Nam in eo circa vocem πρηνὴς plane insulsum ridiculumqve agit Criticum. Allegarat ibi verba Homeri ex Iliad. ε. de Adrasto interfecto:

fecto: *πρηνὴς ἐν κονίῃσιν ἐπὶ στόμα*; ut & Scholiaſten, qvi notarat, poſtremas voces eſſe *δηλωτικὸν τοῦ πρηνῆς*. Et recte qvidem; cum πρηνὴς non *prolapſum* tantum, ſed & *pronum*, ſeu *cernuum* ſignificet; Verum & hunc Scholiaſten ludificat Gronovius, ſed & eo inſimul abſurditatis prolabitur, ut aſſerere contra apertum Homeri ſenſum, totqve alia ejus loca, imo & contra Lexicographos & Grammaticos omnes non dubitet: *Immo πρηνὴς Homero eſt plane inverſo corpore, capite deorſum antecedente, etſi occiput prius terram tetigerit, qvam ſinciput.* Ego Criticum hîc audio inverſi tam ſincipitis, qvam occipitis. Sed en ulterius Criticæ Gronovianæ ſpecimen: *Et ut conſtet*, inquit ibidem, *qvam non adeo diſtinctionis illius minutias obſervent antiqvi, nec à nobis obſervari debeant, novit idem Homerus aciem πρηνῆ concidiſſe*; cum indicare tamen id voluerit Poetarum ſapientiſſimus, milites in acie illa non fugientes, ſed pugnantes, adeoque πρηνεῖς concidiſſe. Sed jam & Homerum ipſum ludos facit Criticus, ut ſibi videtur, Criticorum: *En aciem*, inqvit, *πρηνῆ Homericam. Ergo horum nullus jacuit ore ſupino in tergum, qvis credat; & adeone ſtulti fuere antiqvi, ut ex eo judicio cognorint, qvomodo qvis cecidiſſet, nempe ſi vel ſic vel ſic jaceret?* qvaſi non ſaniores omnes, qvibus & antiqvos adſcribo, exinde colligant, milites iſtos, ſi non omnes omnino, at plurimam tamen qvoad partem, πρηνεῖς concidiſſe, Homerumqve adeo ſapienter denominationem à potiori, ut vocant, vel à pluribus facere voluiſſe. At enim uti ſemel dictaturam qvandam Criticam ſibi ſumpſit Gronovius, ita nec Homero parcere voluit, Scaligerum patrem, ut videtur, imitatus, qvi uti reliqvos Poetas, ita principes qvoqve Poetarum, Poeta ipſemet non omnium elimatiſſimus, ad limam ſuam revocavit. Mihi vero Damaſippo, exiguæ ſtaturæ viro, videtur ſimilis, qvi Mæcenati (at qvanto viro!) par eſſe volebat, ſed quem ſuo merito Horatius Satyrico hoc aceto Satyra III. Lib. II. perfundebat:

An quodcunque facit Mæcenas, te quoque verum eſt
Tanto diſſimilem, & tanto certare minorem.

Lege & cætera usque ad illa verba:

\- - - *non ſi te ruperis, inquit,*
Par eris; hac à te non multum abludit imago.

Sed quorſum me *κρίσις* iſta Gronoviana abripuit? Redeo ad Te, *Rechenbergi excellentiſſime.* Videris enim aurem mihi vellicare, &

qvan-

quando πρηνὴς γενόμενος mihi non idem est ac *præcipitatus* (tam *à seipso*, quod vult Salmasius, quam *ab alio*, quod Gronovius) ex me sciscitari quasi, ecquænam mea tandem de his vocibus sit sententia? Itaque ut ad colophonem tandem perducam hoc epistolæ, non diffitebor equidem, probabilem sic satis videri Casauboni Caloviique, Judam πρηνῆ decidere, rupto laqueo, potuisse existimantium, sententiam. Nam & multos vitæ suæ prodigos vel post suspendium mortuos, vel in ipso suspendii actu adhuc viventes decidisse, ob ruptam videlicet præ nimio pondere restem, accepimus. Prioris casus exemplis plenæ sunt temporum omnium historiæ. Posterioris casus exemplum (ut plura alia prætervehar) in se exhibet Apulejus, lib. I. Metam. Nam *ad inferos*, ut loquitur, *festinaturus, cum dicto*, inqvit, *restim, qva erat intextus* (grabatulus) *aggredior expedite, ac tigillo, qvod fenestræ subditum altrinsecus prominebat, rejecta atqve obducta parte funiculi, & altera firmiter in nodum coacta, ascenso grabatulo, ad exitium sublimatus, immisso capite, laqveum induo. Sed dum pede altero fulcimentum, qvo sustinebar, repello, ut ponderis deductu restis ad ingluviem adstricta spiritus officia discluderet, repente putris alioqvin & vetus funis disrumpitur. Atqve ego de alto decidens, Socratem (nam juxta me jacebat) superruo, cumqve eo in terram devolvor.* Sed qvia suspensi id genus non πρηνεῖς tantum, sed etiam ὕπτιοι, imo etiam κατὰ μέρη ἀριστερὰ καὶ δεξιά, ut Athenæus lib. 10. de inebriatis loqvitur, possunt cadere, alia pronitatis in Juda ratio mihi danda est. Amplector autem primum Erasmi interpretationem, tanqvam Theologi γραμματικωτάτου, & qvi, ut ex vero de eo judicavit Ulricus Huttenus, Eqvitum Francorum suo ævo doctissimus, in epist. ad Bilibaldum Birckheimerum, *Theologiæ fumum objicientes Barbaros facto impetu oppressit, & sacris literis diem reddidit, lucem invexit.* Is vero sic ad locum illum: καὶ πρηνὴς γενόμενος, *pronus factus sive declivis.* Πρηνὴς *enim Græcis dicitur, qvi vultu est in terram dejecto. Expressit autem gestum & habitum laqveo præfocati.* Sed qvia ad hanc Erasmi, & qvi eum seqvuntur, gravissimorum virorum expositionem id regerit Gronovius p. 30: *Gestus ille & habitus nullus est. Nam qvod suspendiosi nostri prona fronte terram videantur aspicere, non fit ex natura præfocati, sed violentia carnificis ita gulam frangentis & cervicem intorqventis,* modus pronitatis alius, isqve controversiis carens, mihi est exponendus. Qvem ut tanto felicius inveniam, sic procedo.

Qvi

Qvi ſuſpendio ſpiritum præcludere volunt, ſuſpendunt ſe aut ſupra terram ex ligno aliqvo aut arbore, vel clavo parietibus impacto; vel in terra, aut pavimento aliqvo, & hi qvidem vel πρηνεῖς ſtantes, vel πρηνεῖς ingeniculantes. Prioris generis ſuſpendioſi ſunt plurimi omnium, qvibus & Judas à Caſaubono, Calovio, aliisqve bene multis fuit accenſitus; ſecundi & tertii generis αὐτόχειρες rariores ſunt prioribus, at conſpectui tamen hominum ſubinde ſe offerentes. Nam qvamvis non longæ experientiæ ſim ſenex, memini tamen vidiſſe me ante viginti annos, cum Studioſum Lipſienſem adhuc agerem, qvi, cum funem ex clavo prope hypocauſti fores dependentem ſuo collo adaptaſſet, & manibus pedibusqve in pronitatem ſeu terram verſus ſe detorſiſſet, ἀπάγχεσθαι ſe fecerat; memini etiam tres vidiſſe alios, qvi ingeniculando, & laqveo ſibi injecto in terram nitento vel propendendo & ipſi ἀπήγξαντο. Cum enim homines id genus furiis internis agitati vitæ ſint pertæſiſſimi, vel primum qvemqve clavum ſibi obvium ſupra terram eligunt, ad finem vitæ ocyus citius faciendum. Sic & alius fuit, referente nuper clariſſimo qvodam Amico, qvi ἀπαγξάμενος, isqve ingeniculans & πρηνὴς (nam funem ex laqveari pendentem ſibi applicarat) in lecto inventus eſt. Nec novus hic aut priſcis incognitus ſuſpendii voluntarii fuit modus; qvemadmodum & ipſe Gronovius p. 170. exemplum mulieris ex Tacito allegat, qvæ *genibus flexis à terra*, ut loqvitur, *ſe levaverat*. Qvales ſuſpendioſi cum πρηνεῖς ſeu proni aut propendente vultu in terram moriantur, ecqvid obſtat, qvo minus Judam eodemmet modo ἀπάγξασθαι exiſtimem? Qvi enim ita moriuntur, non ἀπαγξόμενοι tantum ſunt, ſed & πρηνεῖς γενόμενοι; facilius etiam fieri poſſunt λακήσαντες μέσοι, qvam qvi ſtantes aut ex alto ſuſpenſi ſibi fauces præſtringunt, ob abdomen videlicet inter genua & diaphragma in ipſa ſtrangulatione coarctatum; qvanqvam, qvod viſcerum rupturam attinet, divini potius qvidpiam in ſuſpendio Judæ agnoſco, meum faciens Theologi ſinceriſſimi Dorſchei verba ex Theologo latrone p. 108. *Effudit ruptura inſolita viſcera ſua, dum crepuit medius.* Eſt eqvidem, fateor, & hæc mea non minus, qvam Gronovii, nova, de Juda videlicet in genua appronato, ut Appuleji voce utar, & ſic reſte præfocato ſententia; at ea nemini credenda à me obtruditur, multo minus ſesqvipedalibus verbis tanqvam poſt multa demum ſecula adinventa jactitatur atqve adcomitur; at in-

interim tamen textui ſacro nullam ea vim infert, nec legibus ritibusqve Judaicis, ut & experientiæ tam antiqvorum qvam recentiorum temporum adverſatur, qva ipſa & loca illa duo citra repugnantiam omnem conciliari inter ſe poſſunt; ſiqvidem uti Matthæus rem ipſam vel ſtrangulationem, ita Lucas ſeu Petrus modum ejus, ſeu pronitatem atqve ingeniculationem Judæ τ͂ ἀπαγξαμένȣ videtur deſcribere. Volui autem id tantummodo oſtendere, per voces πρηνὴς γϑόμϑμ@ longe aliud qvid, qvam præcipitium (qvod fieri non poſſe credebat Gronovius) poſſe, imo etiam debere intelligi; qvo ſatis, ut puto, oſtenſo, etiam illud ſuapte ſponte conſeqvitur, neminem qvenqvam cogi poſſe, ut fateatur, verba Petri non de vivente amplius, ſed jam penitus ſtrangulato intelligenda eſſe. Etenim ſi πρηνὴς h. l. non idem eſt qvod *præceps*, vel *præcipitatus*, ut evicisse me exiſtimo, ſed qvod *pronus* vel *propendens*, Judas agnoſci poteſt primum πρηνὴς γϑόμϑμ@, ſeu appronatus, dein ἀπαγξάμϑμ@, pronitasqve adeo ſtrangulationem non ſecuta tantum, ſed antegreſſa qvoqve & comitata eſt. Ex verbis certe Petri nihil minus, qvam præcipitium, id genus, qvale commentus eſt Gronovius, probari poteſt, nedum evinci.

Finire hic poſſem, Vir Cl. qvia & Calovium, invictum qvondam in cathedra Lutheri Theologum, à cavillationibus Gronovianis ſatis vindicatum, & ſententiam Gronovii de caſu Judæ novam labefactatam, imo plane ſubverſam à me fuiſſe arbitror. Sed qvia adhuc alios ſententiæ ſuæ tibicines ſuppoſuit Gronovius, non poſſum non & illos, qvia oppido qvam ruinoſi ſunt, ſubruere. Primus tibicen deſumtus eſt ex Aratore, Sub-Diacono qvondam, & Poeta Chriſtiano, qvi ſub Juſtiniano Imp. A. Chriſti DLX. vixiſſe fertur. Is lib. I. hiſtor. Apoſtolicæ Arium hæreticum cum Juda comparans, (ſecundum Gronovium; nam ego nihil talis comparationis ante hos verſus invenio) de Juda dicit:

- - - cœli terræqve peroſus
Inter utrumqve perit, nullis condenda ſepulcris
Viſcera rupta fluunt.

Ego vero licentiam hîc Poeticæ ſimilem in Aratore agnoſco. Nam uti ſepultura non caruit Arius, ita nec Judas, prout oſtendiſſe me reor. Sic autem de exitu Arii Baronius ex relatione aliorum

G Scripto-

Scriptorum fide dignorum, non Poetæ alicujus, ad annum Christi 336. *Arius Eusebianis fretus multa blaterans in secessum abiit, qvasi ad usum alvi, & derepente juxta qvod scriptum est, pronus factus, medius crepuit, humiqve exspiravit, utroqve & vita & communione fraudatus: hic finis Arii. Eusebiani autem magnopere confusi socium conjurationis sepelierunt.* Gronovius eqvidem (ut obiter id memorem) p. 92. ubi ex Sozomeno refert, qvod Arius inventus fuerit νεκρὸς ἐπὶ τῆς καθέδρας κείμενος, *pronus*, inqvit, *jacere non potuit* (Arius) *nam sic delapsus statueretur è cathedra ---- Ergo jacuit aut in laterum utrocunqve, aut etiam in tergo supinus. Certe utrumqve hoc credibilius, qvam proprie πρηνῆ corruisse &c.* Qvasi vero πρηνὴς non *pronum* tantum ac *propendentem*, seu *cernuum* significet, qvalis qvilibet est in sella Patrocliana sedens, sed & *prolapsum qvoad faciem in terram* significet; & qvasi cathedra illa non pro toto illo loco, qvi Stercutii vel Cloacinæ fanum dicitur, possit accipi. Nimirum uti Arius πρηνὴς sedit, non ὕπτιος, nec dextrorsum aut sinistrorsum, ibiqve medius crepuit (qvanqvam alio, qvam Judas, modo, qvod nec ipse Gronovius p. 185. infitetur,) ita πρηνὴς qvoqve jacuit, ex ea qvippe in faciem prolapsus. Sed nolo jam Camarinam istam movere. Videt nemo non vel me tacente, qvam imbelle hoc Gronovii ex Aratore sit argumentum; & qvotusqvisqve vel de vili aratorum genere ex Poetæ hujusce verbis evincere ausit, Judam post strangulationem propriam nihil sepulturæ habuisse? præsertim cum sentire aliter & lex & consuetudo Judæorum nos jubeat. Longe infirmior est tibicen secundus ex Olympiodoro allatus. Dixerat ille ad Ecclesiasten c. IV. de Juda: *οὐκ ἀπέθανε τῇ ταφῇ τοῦ Σωτῆρος. οἱ γὰρ συνθαπτόμενοι τῷ Σωτῆρι ἐν τῷ βαπτίσματι, καὶ διατηροῦντες τὴν δωρεὰν ἐν ἀρετῇ πολιτευόμενοι, οὗτοι καλῶς αὐτῷ καὶ συνανίστανται).* Exinde sic argutatur Gronovius: Judas non est cum Domino sepultus, E. insepultus fuit abjectus. Eximiam vero seqvelam à sepultura Christi mystica & spirituali ad externam illam ac ritualem sepulturam! Plus firmitudinis videtur esse in tibicine tertio, qvem ex Athanasii libello, qvi ῥήσεις καὶ ἑρμηνείαι παραβολῶν τοῦ ἁγίου εὐαγγελίου inscribitur, desumpsit, præsertim cum dubitet Gronovius, *an parem nobis præbeat omnis antiqvitas Ecclesiastica ad declarandum hoc historiæ Judaicæ negotium autoritatem.* Sed nihil infirmi-

us

us hoc qvoqve fulcimento. Dicit Athanaſius c. XIV. libelli jam dicti ex Lucæ VIII, v. 4. ἐξῆλθεν ὁ σπείρων τοῦ σπεῖραι τὸν σπόρον αὐτοῦ; additqve ex v. 11. ὁ σπόρος ἐστὶν ὁ λόγος τοῦ θεοῦ; dein ſeminis, qvod in ſpinas cecidit, exemplum proponit Judam; & ſeminis, qvod in terram bonam cecidit, Prophetas & Apoſtolos; & de Juda qvidem: ἀπελθὼν γὰρ ἀπήγξατο, καὶ τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ κατέφαγον αὐτόν. Si heic qværatur, qvid per ultimam vocem αὐτὸν intelligatur, nihil aliud reſponderi, ſic ſuadente ipſa ſimilitudine, poteſt, qvàm vox σπόρον, h. e. verbum Dei, uti per πετεινὰ nonniſi Diabolus. Ita enim Salvator ipſe v. 12. οἱ δὲ παρὰ τὴν ὁδὸν, εἰσὶν οἱ ἀκούοντες, εἶτα ἔρχεται ὁ διάβολος, καὶ αἴρει τὸν λόγον ἀπὸ τῆς καρδίας αὐτῶν, ἵνα μὴ πιστεύσαντες σωθῶσιν. Hæc omnia etiam examuſſim conqvadrant in Judam. Nam ab ejus qvoqve corde Diabolus, qvi per τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ adumbratur, ſemen verbi divini rapuit, & veluti devoravit, ut nec crederet, nec ſalvus fieret. Sed ecce devorationem hanc metaphoricam in proprie dictam detorqvet Gronovius, per πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ volucres cœli proprie ſic dictos, & per αὐτὸν Judam intelligens, plane contra Athanaſii & Chriſti ipſius intentionem, imo contra ipſam ſimilitudinis illius ἀλληλουχίαν. Neqve enim οἱ ἀκούοντες devorari dicuntur in illa parabola, ſed ſemen, qvod juxta viam vel etiam in ſpinas cecidit. Qvodſi autem largirer vel maxime (qvod tamen nondum largior) Athanaſium verba illa de Juda proprie comeſto intellexiſſe, ecqvid roboris habebit hoc Gronovii enthymema: Athanaſius credidit Judam à volucribus cœli fuiſſe devoratum, E. Judas reipſa ſic fuit devoratus? Sane ab opinione unius Patris, ea præſertim, qvæ nubilo dubitationis adhuc involuta eſt, ad indubitatam rei ipſius veritatem nonniſi perperam atqve inepte concluditur. Et ubi qvæſo vorago illa, in quam abjectus proditor pabulum atque eſca volucrum cœli eſſe potuerit? Sequitur ergo jam quartus tibicen ex conſuetudine aliarum gentium, Romanorum imprimis & Græcorum, arceſſitus, ſed qui & ipſe Nilotica canna quavis magis eſt fragilis. Cum enim ſententiam de voragine id genus ſuam ex ſcriptoribus, qvi vel Judæi fuerunt ipſi, ut Philo & Joſephus, vel ex profeſſo de legibus ritibusque Judæorum ſcripſere, ſtabilire debuiſſet Gronovius,

Judæis ſusque deque habitis (nam ex illis non poterat) in Latium, & Græciam, imo in Aſiam quoque excurrit, gentiumque illarum circa inſigniter facinoroſos vel αὐτόχειρας conſuetudines ad Judæos, gentem & legibus & ritibus ab aliis longe diverſiſſimam, inſulſiſſime applicat. Et quis vel micam rationis habens ſic arguat: Servi Dominis minus fidi apud Romanos vivi fuerunt præcipitati, E. & Judas proditor fuit ita præcipitatus. Nefarii apud Romanos unco tracti fuerunt ad ſcalas Gemonias, vel ad puticulas extra Exquilias, E. & Judas unco fuit tractus; Sacrilegi & proditores apud Athenienſes in ὀρυγάδα fuerunt abjecti, E. & Judas proditor ſic fuit abjectus, vel ſecundum Græcorum proverbium, miſſus εἰς κόρακας. At ita arguit Gronovius, ἀκριβέστατος ſcilicet Logicus & Hiſtoricus, parumque abeſt, quin ex Judæis, populo plane ſingulari, quidvis gentium faciat. Juvari equidem Gronovium poſſe video ex Grotii lib. II. de Jure belli & pacis. Is enim cum cap. XIX, quod de jure ſepulturæ agit, legem illam divinam Deuter. 21. 23. quæ ſuſpenſos patibulo ſepeliri eodem die jubet, laudaſſet, memoraſſetque inter alia, quod Phariſæi Alexandrum Jannæum regem, quamvis in mortuos populares valde contumelioſus extitiſſet, ſepelierint tamen, id verborum §. 5. ſubjungit: *Hoc tamen notatu non indignum, de ſepeliendis mortuis regulam apud ipſos Hebræos habuiſſe exceptionem eorum, qvi ipſi ſibi mortem conſciverant, quod Joſephus nos docet.* Allegatur etiam ad oram *Joſephus lib. 3. de bello Jud. c. 25.* ut & *Hegeſippus lib. 3. c. 17.* At vero ſi loca hæc duo paulo fixius intueare, nihil quicquam exceptionis ejusmodi in illis deprehenditur, quamvis confidenter id aſſerat magnus Grotius. Nam Joſephus in loco illo, quem & ſupra allegavi, expreſſe, *ſi qui,* inquit, *ſe occiderint,* παρὰ μὲν ἡμῖν, *apud nos quidem usq; ad ſolis occaſum inſepultos abjici decretum eſt, cum etiam hoſtes ſepeliri fas eſſe ducamus &c.* Nimirum inſepulti qvidem abjecti fuere αὐτόχειρες apud Judæos, ſed tantum μέχρις ἡλίου δύσεως, ob legem Deut. 21. 23 non per noctem aut tempora ſubſequentia. Verba autem Hegeſippi ita habent, in quibus & ipſe Joſephus contra αὐτοχειρίαν perorans introducitur: *Hæc non ſolum moribus hominum, ſed etiam legibus interdicta accipimus. Namque alii inſepultos projici jubent eos, qui ſe in ferrum*

rum dejecerunt. -- *Alii dextram manum abscindunt defunctis, ut separent à membris sui corporis, qvod adversum corpus vesano militavit furore.* Sed qvinam quæso sunt illi, qui αὐτόχειρας plane insepultos jussere projici? Sane non Judæi, è quibus Josephus erat, sed *alii*, Romani nempe & Græci; & quinam illi, qui manum dexteram propricidis absciderunt? an Judæi ipsi? minime vero; sed *alii*, Athenienses inprimis, ut colligo ex oratione Æschinis contra Ctesiphontem non procul à fine: καὶ γὰρ ἂν εἴη δεινὸν, ὦ Ἀθηναῖοι, εἰ τὰ μὲν ξύλα καὶ τοὺς λίθους καὶ τὸν σίδηρον τὰ ἄφωνα καὶ ἀγνώμονα ἐάν τῳ ἐμπεσόντα ἀποκτείνῃ ὑπερορίζομεν, καὶ ἐάν τις αὑτὸν διαχρήσηται τὴν χεῖρα τὴν τοῦτο πράξασαν χωρὶς τοῦ σώματος θάπτομεν. Nihil igitur hîc quoque præsidii pro sententia sua inveniret Gronovius. Sed nec opus habere videtur ullo Scriptorum fide dignorum testimonio, *quia plus indulgentia Spiritus S.* (repeto verba ejus ex p. 171.) *reliqvit ipsi & scire concessit, qvam putaverunt aut videntur scire voluisse viri doctissimi.* De cætero sententiam de voragine suam ita concludit Gronovius p. 191. *Hujusmodi aut vallem aut morem projiciendi purgamenta & damnata cadavera fuisse Hierosolymis, licet NB. nullus scripserit, vel potius non meminerim alibi me legisse, tamen qui dubitare possim illic certe fuisse, cum præter exempla aliarum, etiam vicinarum civitatum, videas tot chartas conscriptas esse de resecratione* τοῦ τάφεθ τοῦ ἐν φάραγγι υἱοῦ ἐννὸμ, *de Golgotha aut* κρανίου *colle?* Succurrere & hic Gronovio possem, qui de valle sua neminem quenquam scriptorum allegare, nec se legisse de ea quippiam meminisse jam potest. Nam fuisse extra Hierosolymam locum, in quo crania interemtorum & supplicio affectorum dispersa jacuerint, non uni scribunt autores. Ita enim Hieronymus in caput Matthæi XXVII: *Extra urbem & foras portam loca sunt, in qvibus truncantur capita damnatorum, & Calvariæ, id est, decollatorum sumsere nomen.* Huic Beda quoque, imo & Lyra subscribit his verbis: *Dicitur Calvariæ locus, quia locus ille erat plenus capitibus mortuorum, qui ibi decollabantur; quia ibidem malefactores puniebantur.* Et en Adrichomium, plane ad mentem Gronovii, in theatro terræ sanctæ f. 175.176: *Vallis cadaverum, quæ inter montem Calvariæ & mœnia Jerusalem sita est, nomen inde habens, qvod ibi cadavera, ossa & cineres eorum, qvi in*

monte Calvariæ morte puniti aut combusti erant, projiciebantur. Quamobrem & milites Christi crucifixores, postquam latronum, qui cum Christo crucifixi erant, fregissent crura, ob imminentem vesperam & diem festum, eorum cadavera & cruces, simul & Christi jam sepulti crucem & titulum in hanc vallem præcipitaverunt. Qvandoquidem vero Judaici moris nunquã fuit, sub dio semper relinquere defunctorum cadavera vel crania, tantaq; Judæis tam ante quam post Judæ tempora, ut supra demonstravi, sepulturæ ferbuit cura, ut etiam ad patibulum damnatos ad occasum solem humo mandarent, secundum legem illam Deut. 21. 23. Gronovius, ne his quidem autoribus stipatus si apparuisset, à me impetraret, ut crania hominum mortuorum in Golgotha vel monte Calvariæ dispersa jacuisse adcrederem. Nam & aliunde, à forma videlicet Calvariæ simili, mons iste appellari sic potuit, quæ sententia uti olim nonnullis, referente Cyrillo Hierosolymitano, ita ex Lutheranis hactenus Georgio Calixto, & Henrico Mullero in Jesu patiente placuit; quanquam si vel maxime à craniis id nominis acceperit mons Calvariæ, non ideo *ἀταφία* craniorum in loco illo debet colligi, nisi credere velit Gronovius, in colle illo, qui Josuæ V. vers. 3. גִבְעַת הָעֲרָלוֹת h. e. *collis præputiorum* dicitur, præputia Israelitarum à Josua circumcisorum ibi jacuisse *ἄταφα*. Nec est, cur ex Gehenna, seu valle Hinnom subsidii aliquid pro sententia sua expectet Gronovius. Nam cum in ea infantes Judæorum, nefando & abominando sacrificio, non sine ingenti tympanorum crepitu ac strepitu, unde & vallis Tophet dicta est, Molocho, Amoritarum Idolo, immolarentur, non comburebantur tantum in Molochi ferrei candentisque manibus repositi, sed & quicquid cinerum vel ossium supererat, in suppositam Molocho voraginem abditam decidebat, qua de re multa Cl. amicissimusque Beierus noster in additamentis suis ad Seldenum de DIS Syris p. 242. & seqq. erudite commentatur. Jam ab *ἐκπυρώσει* infantum illorum ad *ἀταφίαν* cadaverum damnatorum quid consequentiæ est? Vallem istam in Jeremiæ c. 19. v. 2. LXX. reddiderunt *πολυάνδρειον* h. e. *locum, ubi multa sunt sepulcra*, qvia commune urbis sepulcretum ibi extitisse crediderunt. Quod si ita res habuit,

buit, ſane inter ſepulcra fruſtra aliquid inſepulti fingitur. Verum neque his fulcris ſe opus habere innuit Gronovius. Ita enim ſententiam ſuam veluti obſignat: *Ne multis; novimus alios non modo in hanc ſuſpicionem veniſſe, ſed etiam non vana ejus fulcra attuliſſe* (ſed ſi novit alios Gronovius, cur non nominavit, & cur non fulcris eorum, quibus per habet opus, fuit uſus?) *Sed qvaliacunqve illa ſunt* (pergit) *ſufficit mihi una auctoritas S. Evangeliſtæ Lucæ, qvi prorſus dicit poſt mortem* (à Matthæo nempe narratam) *Judam præcipitem factum* (*haud dubie aliorum manibus*) *crepuiſſe medium, ſic ut effuſa patuerint ejus viſcera.* Nimirum unicum ipſi, idque firmiſſimum fundamentum eſt locus Lucæ, ſeu verba illa πρηνὴς γενόμενος. At quam labile illud eſt ac debile? Oſtendi, ut puto, ſatis, voces illas non per *præcipitatus ab alio*, vel *præceps factus*, ſed per *pronus factus*, vel *in terram propendens*, vel *inclinatus factus* debere ac poſſe accipi; oſtendi & inſimul, *pronitatem* illam ſeu *propendentiam* non ſequi tantum ſtrangulationem ſeu mortem, ſed antegredi qvoq; eam ac comitari potuiſſe. Nec dubium mihi eſt, Judam πρηνῆ fuiſſe inventum, ereptumq; è laqueo ante veſperam, æque ac latrones cum Chriſto crucifixos, in locum à ſepulcreto communi ſejunctum, deportatum fuiſſe mox, ac terra obrutum. Neque enim aliter tum temporis, ut vel ex ſolo Joſepho conſtat, penes Judæos tam αὐτοχείρων qvam ſuſpenſorum maleficorum cadavera tractabantur. Sed modum epiſtolæ jamdudum exceſſi, juſto quodam Zelo pro tuenda Calovii noſtri fama abreptus. Finem itaque tandem facio, & quicquid à me tumultuarie & ex tempore in has chartas conjectum eſt, accuratiſſimæ cenſuræ tuæ iterum iterumque ſubjicio. Vides autem, Polyhiſtor clariſſime, quid monſtri tandem ex montibus Gronovii, immanes gemitus cientibus, prodeat. Nihil ſane montibus parturientibus magis ſimile mihi occurrit unquam, quam dictio in Exercitationibus hiſce Gronoviana, qvippe qvæ prorſus talis eſt, qualis illa neſcio cujus in Satyra Cunæi Menippéa, quę ita deſcribitur: *Ipſa dictio male affectata, & peregrinæ inſolentiæ plena. Ubiqve ampullæ, corybantiſmi, & verba ſesqvipedalia; ſingulas voces cum criſtis & ſuperciliis natas dixiſſes. Adeo nihil pudicum aut temperatum*

tum erat, ſed maculoſa omnia & turgida. Vix igitur eſt, qvin Gronovium eandem, quam Menippus ibi ſubjicit, & cenſuram & medicinam promeruiſſe pronunciem. Sed de rebus ipſis quid dicam in toto opuſculo contentis? πάντα μέμικται, ſed & οὐδὲν ὑγιές. Neque enim quicquam veræ ac ſolidæ *eruditionis* tum in Exercitationibus his, *de pernicie & caſu Judæ*, tum in aliis ejus tractatulis hactenus editis deprehendi, ut non abs re mirer, tam inſulſa, addo &, tam mordacia & amarulenta ſcripta, in quibus ſummi Viri indignisſimis vellicantur modis, in Actis veſtris, quæ *Eruditorum* audiunt, non ſine encomio, fuiſſe recenſita; quanquam ex Actis hujusdem menſis Aprilis video, vos parciores deinceps in commemorandis id genus eriſticis ſcriptis fore. Ego capillatam occaſionem hanc nactus non Te tantum, Vir longe eruditiſſime, ſed & Vos, Germani optimi reliqui, qui quidem in Orcheſtra literaria ſeſſitatis, humaniſſime pariter atque inſtantiſſime rogo adhortorque, ut & vos, quod poteſtis, famam Nationis noſtræ pro virili vindicetis, & veſtro quoque loco faſtum Batavorum quorundam, quibus Germani nonniſi fungi ſunt, vel ſtylo Iſ. Voſſii, *pecora campi*, retundatis. Neque enim tolerandum amplius, ut illi, quorum eruditio & operæ MSStorum Codicum collationem, & variarum lectionum, notularumque conſcribillationem non multum excedunt (quale quid penes nos vel quivis Scholæ trivialis Rector & Con-Rector præſtare de facili poſſet, ſi eadem nobis, quæ Batavis, & papyri & typorum ſuppeteret elegantia) tum in Germanos, tum in alios longe eruditiores ſe ſcriptores impune debacchentur. Ego cum non ſine ſtupore viderim, Gronovium non maximos tantum Viros ob rem non magni momenti præter meritum perſtrinxiſſe, ſed & ſententiam ſuam quoad præcipitium Judæ falſiſſimam, tanquam veriſſimam præ omnibus jactitaſſe, non potui non explodendum illum orbi literario propinare, & Calovii pariter, Theologi inter noſtrates ſinceriſſimi, cauſam agere. Sed quo, inquies, exploſionis genere dignum cenſes Gronovium? Commodum hîc in mentem mihi venit illius conſuetudinis, vel ceremoniæ in Papatu ab Eraſmo Schmidio ad locum Act. I. de ruptura viſcerum Judæ f. 776. annotatæ, qua Judas adhibito malleorum pulſu & ſtrepitu ex templis

non

non sine invectivis exploditur & veluti excutitur. Germani vocant die Pumper-Metten/ in denen die Leute früh im finstern (verba sunt Schmidii) in den Kirchen den Judas mit Hämmern auspumpern und ausklopffen. Non meliorem certe tractationem meretur is, qvi & virulentus summorum virorum allatrator, & jactator plane insanus sententiæ novæ de casu Judæ extitit, qvæ neqve cum lege Judaica, neqve cum consvetudine tum temporis apud Judæos adhuc obtinente potest consistere. Sed & hac de re tuum esto judicium. B. V. Vir celeberrime, & salve ex candidissima Amicorum, qvam nosti, triga, à *Stephanio* nempe, *Bavaro*, & *Corvino*, qvi anxie tuam, nec non tuæ ζωῆς καὶ ψυχῆς, seu καλῆς κἀγαθῆς SPENERIÆ, nunc RECHENBERGIÆ, præstolantur præsentiam. Dabam Freibergæ Hermundurorum XVI. Cal. Maj. A. Ær. Chr. CIↃ IↃC LXXXVII.

POSTSCRIPTUM.

OBsignaturiens hanc Epistolam bene longam, & libello non absimilem, Amicorum lectissime, à Bibliopola vestrate Gleditschio per γραμματοφόρον nostrum accipio *Jacobi Gronovii epistolam ad V. Cl. Johannem Georgium Grævium, qva respondetur Argutiolis, qvibus in appendice observationum ad Pomponium Melam utitur Isaacus Vossius*, eamqve hoc ipso anno Lugduni Batavorum typis publicis exscriptam; ut & *Casparis Kinschotii poemata in libros IV. digesta*, eodem *Jacobo Gronovio* curante Hagæ Comitis 1685. edita, & à Vobis in Actis superioris anni p. 587. recensita, & non abs re laudata. Priore Gronovii libello vix obiter inspecto molestiam nauseæ percepi, qvia in hac qvoqve Epistola non minus, qvam in prima *de Pallacopa*, qvam ad eundem *Cl. Grævium* perscripserat, mera *titivilitia*, seu futiles inutilesqve lites de variis Pomponii Melæ lectionibus, qvas *Juvenis Leidensis*, & *Vetulus Londinensis* (his enim nominibus se duo isti Suffeni nobilitant) inter se reciprocant, deprehendebam. Avide autem percurri poemata Kinschotiana, qvia ab ipsis Musis & Gratiis dictitata mihi videbantur; nec pellegere non poteram editoris illorum Gronovii tum *Elegiam ad Lectorem* poematis præmissam, tum *carmen* ejusdem *heroicum Memoriæ Kinschotianæ* consecratum. Cum enim

fando non ſemel percepiſſem, Gronovium ut reliqvos Germaniæ Eruditos, ita poetas qvoqve Germanos nauci facere, Naſoniani ac Maroniani qvid in carminum Gronovianorum biga hac reperturum me rebar; reperiebam autem (liceat fari, qvod res ipſa eſt) pro Naſone & Marone muſteo Poetam Bavio & Mævio qvovis deteriorem. Nam cum in Elegia atqve Epopœia certæ virtutes metricæ, qvæ vel pueris non ignotæ ſunt, eniteſcere debeant, talium nihil, certe perparum in carminibus illis apparebat; apparebant &autem vitia proſodica, eaqve *ferulis puerilibus* (qvales Voſſium in Epiſtola II. ad Cl. Græviump. 26. mereri ait) vix expianda. Nam fœdo & erubeſcendo errore ſecundam in voce *innotuit* corripit, & qvidem in hoc Elegiæ jam dictæ Pentametro: *Omnibus innotuit, Iſala mœſte, locis*; ut & primam in *ſicut*, in hexametro mox ſeqvente: *Corporis exanimi ſceletus ſicut abditur antro &c.* In carmine vero Heroico vel hexametro potius (nam nihil heroicæ virtutis in eo exſplendeſcit) primam in *macula* produxit, dum ſcribit: *Non noſtram offuſcare poteſt hæc macula mentem*; Sed ô *maculam*, qvæ vel ſola tanti Critici famam offuſcare potis eſt! ut taceam, eum in eodem carmine ultimam in *fere* correptim, & in *facile* productim, ſecus qvam veteres fecerunt, extuliſſe. Non ignoro eqvidem, vel optimis ſubinde atqve exercitatiſſimis Poetis ἁμαρτήματα id genus προσωδικὰ obrepſiſſe; qvale v. g. illud C. Barlæi eſt, poetæ longe terſiſſimi, & de qvo vere (qvicqvid Critici qvidam contra ſentiant) ſcripſit Simon Epiſcopius in Epiſtola ad eundem, Epiſt. Arminianarum p. 679: *Leves, inanes, & χαμαιπετεῖς λόγους odiſſe ſoles, & non amare niſi plenos carnis, ſangvinis, & ſpirituum*, in Heroicis maxime. Is autem in Eleg. lib. III. p. 257. ſecundam in *ſuffocat* corripit, ita canens: *Imnocet ſanis, vitalem ſuffocat ignem Luctus &c.* Minus recte; eſt enim *ſuffocare* à *faux*: recte vero Ovidius: *Suffocent animam dira venena tuam.* Sed hic nævulus qvidam eſt in corpore cætera longe pulcherrimo. Gronovio autem, qvi ſtrigili ſua Critica neminem non ſolet depectere, vitia iſta non ſunt condonanda, præſertim talia cum ſint, ut, in Scholis ſi committerentur, Tragœdiam haud dubie ferulaceam excitarent. Sed annon, inqviat qviſpiam, & *Fellerus* veſter in legem Pediam impegit? Nam in carmine illo, qvod Hiſtoriæ

Sve-

Svecicæ Cl. Pufendorffii præmissum cum aliis est, secundam in *splendidior* producit, qvam brevem esse vel pueri norunt. Ita enim habet ibi versus tertius: *Et qvæ Blandusiæ vitro splendidior olim Manarat &c.* Verum in promtu responsio est. Fellerus scripserat *splendentior*, non *splendidior*, uti clarissime patet in eodem carmine, penes vos impresso prius, qvam illud ad celeberrimum Pufendorffium miserat. Sed corrector Ultrajectinus τὸ *splendentior* mutavit in *splendidior*, ad Horatianum illud respiciens: *O Fons Blandusiæ splendidior vitro*; at ita mutavit vel ex ignorantia, vel ex malitia, ut Poetam videlicet Lipsiensem tanqvam legis prosodicæ violatorem prostitueret. Sunt & alia in eodem carmine minus recte Ultrajecti impressa: Nam pro hoc versu: *Qvæ fortuna Tago fiet, & qvid Lilia spirent*, sic ibi legitur. *Qvæ fortuna Tago fiet, qvid Lilia spirent*; item *Religionis* pro *Relligionis*; qvod hac ipsa occasione non monere non potui. Sed vale iterum, Vir amplissime, & nimiæ loqvacitati ignosce, qvam pertinax veritatis candorisqve studium imperavit, & tantum non extorsit.

JAMBUS
AD
LECTOREM BENEVOLUM.

Epistola qvæ jam tumultuaria
Perscripta sunt, Gentis Batavæ nomina
Non docta tangit qvælibet, non *Tollios*,
Perizoniosqve, cæterosqve, Gratias
Junxere qvi tres cum novem Sororibus,
Sed fastuosos, sed truces, sed tetricos
Vocum Monarchas (scilicet), seu Regulos
Critico in fimeto, Cynthios qvi existimant
Sese esse solos, candidosqve Teutonas
Tanqvam minores despicantur stellulas,
Vel umbrulas omni carentes lumine;
Gronovium inprimis, Virum grandis typhi,

Atqve haud ferendæ Zoilum licentiæ,
Qvi virulento dente non *Calovios*
Tantum ac *Gerhardos* innocentes lancinat,
Laceratqve nostros, sed Batavorum qvoqve
Qvondam astra summa, *Grotios* atqve *Heinsios*,
Coccejum & ipsum, fulgidum nuper decus
Leidæ, atqve *Mommam*, qvin & Anglos, & satos
In Galliis *Casaubonos*, *Salmasios*,
Qvos doctus orbis suspicit ceu principes;
Gronovium, inqvam, qvindecim post secula,
Reperisse qvi se *proditoris pessimi*
De morte veram jactitat sententiam,
Sed falsam & ipsam, Gentis atqve Abramicæ
Prisco instituto dissonantem ac ritibus.
Gronovium ergo dum peto, ac superbiæ
Criticos gemellæ, cæteros nemo putet
Belgas petitos, terna qvos ornat Charis,
Clarosqve reddit melior Eruditio.
Manet, manebit fama eis ac gloria
Illæsa semper. Vindico hîc *Calovium*,
Gronoviana haud promerentem scommata,
Gronoviiqve reprimo ampullas simul,
Sed spongiam inducturus huic Epistolæ,
Sententiaqve facile cessurus mea,
De morte Judæ si suam Gronovius
Ex populi Hebræi moribus firmaverit,
Id qvod Calendas fiet ad Græcas, puto.

Corrigenda qvædam.

P. 4. l. 18. lege *sic jubeo* pro *jubeo*; p. 5. l. 24. *Sibyllæ* pro *Sibylla*; p. 6. lin. antepenult. *qvibusdam* pro *plerisqve*; p. 7. l. 6. dele *in*, & l. 12. post vocem Græcam πολυγραφίαν, insere textui *Germanis*; p. 8. l. 5. *evocatus* pro *evocaus*; l. 11. *Hypocriticum* pro *Hypercriticum*, & lin. ult. dele hæc verba παρενθετικῶς posita: (*id qvod à natura impetrandum*) p. 16. l. penult. πρηνῆ pro πρηνῆ p. 20. l. 29. lege *Gronoviana* κρίσις pro *Caloviana*. p. 54. l. 6. lege *diu* pro *semper*.

Cætera, spero, bonus Lector vel corriget ultro,
Nam qvisnam Argi instar Centoculi esse potest?

FINIS.

16